IO. MELCHIOR.
VERDRIES,
D. Med. & Phil. Natural. P. P.
Ordinarii,

DE

ACTIONE VENTRICVLI IN COMMINVENDIS CIBIS

DISQVISITIO.

QVA

Chylificationis negotium ad genuinas naturæ leges expenditur, & quomodo tritu, adiuvantibus calore naturali ſuccisque diluentibus & ſolventibus, illud abſolvatur, per experientiam & rationem apertius declaratur.



GISSAE,
Apud IOHANNEM MÜLLERUM,
cIↄ Iↄ cc XXI.

ſus vital. imorum circuli.

in finem vitalem humorum in circulum motum inſtituiſſe divinam providentiam, ut non tantum iugi eorum per vaſa minima preſſione, elementorum laxe cohærentium & in diſſolutionem ac corruptionem natura propendentium debita mixtio conſervetur immi-nensque molecularum ſeceſſus & corruptela avertatur, ſed etiam ut perpetuo ad organa ſecretoria appulſu, & ſordes, & inæqualia ramenta (quæ ſanguinem fœdant, inquinant, liberiorem per vaſcula tranſitum eidem intercludunt, ac vires inimicas nocentesque facile conſequuntur) & quicquid ſuperflui in vaſis colligitur, quod oneri foret corpori, extra pomoeria eius proſcribatur. Ita enim ſervata legitima inter partes ſolidas & fluidas, textum nervoſum & arterioſum proportione & inde pendente æquabili utriusque liquidi & proportionato niſu ac motu, ſua conſtat partibus tenſio & tonus, univerſo vero corpori vigor atque vita.

Cum vero his excretionibus, (qui-

(quibus haud exiguum aſſidue eliminari & ipſa quotidiana circa ſenſibiles evacuationes experientia & *Sanctoriana* de perſpiratione inſenſibili obſervationes, magni quoque *Boylii* calculo & experimentis confirmatæ, nos dubitare non ſinunt,) in tanta humorum commotione, non ſupervacanea modo aut inutilia & prava recrementa eiiciantur, ſed & quædam corporis noſtri portio, multum nempe aquei, ſuccoſi, ſalini, terrei, oleoſi aere & ethere permixti ſimul effluat, (id quod langueſcens ob nimiam abſtinentiam corporis habitus ipſaque ad avertendam diſſipationem totius alimentorum indigentia evidentiſſime docet,) nulla difficultate perſpicimus, vi circuli & preſſione ſanguinis ſervari vitam & produci, ſed &, cum fluxa & caduca ſint vitæ principia, fugari. Atque id cauſæ ſubeſt, quamobrem trium illarum rerum aeris, cibi, atque potus adeo dura, periculique pleniſſima eſt egeſtas. Iis enim, tanquam præſenti ſupplemento, illius, quod

Tres res ad vitam ſumme neceſſariæ.

amiſſum eſt, damnum & iactura ſarciri ac labaſcens ob nimiam diſſipationem circulus & preſſio ſanguinis inſtaurari debebat. Eam quippe ob cauſam multa magnaque in nobis opera, viæ & officinæ, mirabili partium coagmentatione, providentiſſime effecta ſunt, ut illorum miniſterio iſtæ res comode hauriri, ac binæ poſteriores in ſuccum vitalem, moleculis in locum abſumtarum ſufficiendis refertum, cominui

Aer. poſſint. Aer in pectus ſuccedit, ex quo pars reſpirando redditur, pars venis concipitur atque ſanguini per eas prolabenti permixta, irrequieto ſuarum molecularum, calore agitatarum & quaquaverſum a ſe invicem recedentium, motu, inteſtinum diſſidium, cui & fluiditas & calor debetur, promovet & au-

Cibus & Potus. get. Cibi & potus ore aſſumuntur, & illi quidem dentibus manſi & commoliti nec non ſaliva delibuti, motibus labiorum, buccarum, linguæ, gulæque, una cum potibus deglutiuntur ac in ventriculum deferuntur; cuius tenero

ſed

ſed valido amplexu apprehenſi atque aſſidua cum adſtringentis ſeſe tum remittentis commotione, nec minus repetitis muſculorum abdominis, ſepti transverſi arteriæque magnæ ictibus eundem ſuccutientibus agitati, novisque liquoribus perfuſi inſignem mutationem ſubeunt; donec motu illius compreſſivo ad inteſtina propulſi atque affluentibus liquoribus balſamico ſalinis penitius eliquati,per venas meſaraicas albas ductumque thoracicum *Pecquetianum*, venæ ſubclaviæ ſiniſtræ infundantur & cum ſanguine refluo ad cor delati huiusque pulſu & vigore per membra & innumerabilia vaſa minima diffuſi ulterius ſolvantur, attenuentur, tandemque purpuream ex parte veſtem induti univerſum corpus irrigent vegetent & quod excretionibus amiſſum erat reſtituant. Vt vitæ propagatio iugi ſic additione & ſubttactione abſolvatur, additione eorum quæ deficiunt & ſubtractione eorum quæ excedunt.

Verum nutrimentum per omnia coctionis instrumenta provehi debet.

Alimenta igitur, antequam in succum, quod dicitur, & sanguinem convertantur ac partibus reficiendis apta fiant, per omnia coctionis instrumenta, ut recte *Galenus* monuit, provehi & per organa atque vasa, quæ multa in nobis machinata est natura, propelli eoque ipso discerpi, comminui, tum a partibus ad mixtionem cum reliquis subeundam æque ac nutriendum ineptis segregari, ac in humorem primo lacteum, deinde in fluxum magis & sincerum, postremo in dulcem tenuem & delicatum redigi debent. Ex his comminutionibus potissima fere & fundamentum reliquarum est quæ in ventriculo perficitur; quam proinde, inprimis cum & ipsa actio & plures quæ eandem circumstant conditiones nondum omni dubitatione expeditæ sint, dilucidius paulo atque curatius prosequemur, ita quidem ut primo effectum in sensus incurrentem omnesque notiores circumstantias expendamus, tum vero ea quæ scitu difficiliora

&

& a cognitione noſtra remotiora ſunt, cauſas nimirum proximiores, his ipſis adminiculis, indagemus.

Et primo quidem experientia anatomica compertum habemus: divinam providentiam (α) utrem membranaceum affabre atque mirando artificio, certum in finem, effictum (β) ſub diaphragmate, in regione abdominis epigaſtrica, inter amplexum variarum partium ac viſcerum, illum, cum aſſiduo ſuccuſſu impellentium, tum excalefacientium repoſuiſſe eique (γ) ſenſum ſatis exquiſitum indidiſſe, quo memores reddimur indigentiæ corporis & tempeſtivæ refectionis. Quæ maxime ſenſilis conſtitutio etiam in cauſa eſt, quod læſiones, inprimis ſiniſtri orificii, indigniſſime ferat hic uter, cum vitæ ſæpe diſpendio; quod ſicuti in errorem induxit *Helmontium* ut *L. de ſed. animæ*, animam in ventriculo habitare opinatus fuerit, ita illud immerito in criminis argumentum rapuit *Plinius*, ut *N. H. L. 26. c. 8.* ubi

Phaen. I.

Phaen. II.

Phaen. III.

ubi de ventriculo ipsi sermo est, conviciis eum consectetur, dum *plurimum* inquit, *homini negotii alvus exhibet, cuius causa maior mortalium pars vivit. Pessimum corporum vas, instat ut creditor & sæpius die appellat: Huic luxuria conditur; huic navigatur ad Phasin; huic profundi vada exquiruntur & nemo eius vilitatem æstimat consumtionis fœditate.* Rectius nobis sentire atque, cum *Q. Sereno* Medico, vera niti ratione videntur, qui non pessimam sed nobilissimam hunc esse corporis partem, sine qua vita deficeret & vitæ delicium, contendunt, quin imo regem totius corporis magnumque salutis nostræ præsidium, quo partibus prospiciente singulæ valent, languente deficiunt, cuique proin omnes vota nuncupant & bene precantur, eum appellandum existimant.

Ventriculus Rex corporis.

Phaen. IV.

Porro de eo quoque nemini dubium est: (δ) in cavo huius visceris cibos solidiores, dentibus in ore contritos, liquore salivæ, e pluribus canaliculis, huc corrivante, emol-

emollitos pluriumque artificioſorum organorum agitatione volutatos ac conſpirantibus in hoc unum faucium & gulæ muſculis per ſubiectum cartilagineum laryngis operculum, tanquam pontem, in pharyngem protruſos atque inde per œſophagi canalem demiſſos ulterius dividi concerpi ac in maſſam ſenſim liquidiorem, eamque ratione (ε) coloris albeſcentem, cineream, dehiſcere, quo, ſolutis firmioris texturæ vinculis, moleculæ, partibus reficiendis deſtinatæ, e fæcibus, quibus impeditæ erant, extricari & ab iisdem ſegregari commode poſſint. Phaen. V.

Neque illud non evideniiſſimum eſt: id, (ζ) quicquid hic eſt operationis, melius abſolvi, quando corpus optime valet & ventriculus inprimis, cum partibus vicinis, utroque rite influente animali fluido, nerveo atque ſanguineo, iuſta temperie, tenſione, elatere ac motu gaudet. Phaen. VI. Qui bene valet bene digerit. Vnde præ (η) ſenibus iuvenes digeſtionis privilegium ac prærogativam habere obſervamus. Ph. VII.

Præ-

Præſertim vero hæc actio viget optimeque procedit, ubi nervoſa contextio legitimum ſuum tonum & inde pendentem ſenſum habet, id quod ex eo perſpicimus, quod facilius atque promtius in ventriculo conficiuntur quæ cum (θ) appetitu & gulæ delectamento ſumuntur, adeo quidem ut non unis obſervationibus cognitum habeamus, ea (ι) quæ huic actioni pertinaciter obniti eamque peſſundare ſolent, braſſica muria condita, haleces, carnes ſalitæ & fumo induratæ, modo cum εὐαισθησίᾳ & mentis delectatione capiantur, illam, penitus etiam proſtratam, exſuſcitaſſe ac feliciſſime reſtituiſſe. Vt rectiſſime dixerit HIPPOCRATES: *Paulo deterior, & potus, & cibus, iucundior autem eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores. Aphoriſm. II. 38.*

Ph. VIII. Qui cum appetitu ingerit bene digerit.

Phaen. IX.

Simili modo erigere ventriculum & recreare atque digeſtionem promovere comperimus (κ) omnia quæ blando ſtimulo fibras ad moderatam conſtrictionem & motum ſol-

Phaen. X. Remedia ſtomachum adiuvantia.

ſollicitant: qualia ſunt notiſſima Medicis pariter ac laudatiſſima remedia, ſic dicta, ſtomachica, acida, ſpiritus nitri, vitrioli, ſalis dulces, ſulphuris per campanam. Item blande abſtringentia, roborantia, cydoniata, maſtichina, & quæ præter irritantem ſtimulum, partibus tenuibus ſalino volatilibus oleoſis balſamicis liquidum nerveum ad influendum excitant atque compellunt, aromatica, balſamica, volatilia, quæ eam ob cauſam etiam nervina dicuntur. Aut (λ) quæ, præter vellicationem, latera ſimul ab obſidente viſcida ſaburra liberant, uti ſunt vomitoria, nec non peniculus tergendo ventriculo dicatus die vor einigen Jahren überall bekante Magen-Bürſte/ cuius egregiam in praxi utilitatem *Act. Erud. Lipſ. Collectores* teſtimonio ſuo confirmant. *Suppl. T. V. S. IV. p. 183.* Phaen. X.

E contrario, ea (μ) a quibus ventriculus concepta nauſea abhorret; item (ν) quæ fibrillas eiusdem muſculoſas & nervoſas rite tenſas Phaen. XII. Ph. XIII. Inimica ventriculo

ſas laxant earumque tono fraudi ſunt, humectantia in & externe
Ph. XIV. adhibita, inprimis balnea, (ξ) pin-
Ph. XV. guia, oleoſa, dulcia; & (ο) quæ ventriculum ultra modum diſten-
Ph. XVI. dunt, potulenta copioſa, (π) eiusdem lateribus adhæreſcunt & oneri ſunt viſcida, terrea, abſorbentia dicta aut præcipitantia, quæ lympham ventriculi imbibunt & cum ea in lutum vel magma mucilaginoſum abeunt; actioni huic maxime obeſſe deprehendimus. Ecquis enim eorum, qui medicinam faciunt, non novit, dulcia, mucilaginoſa, pinguia, pectori quidem eſſe amica, ſtomacho vero inimiciſſima? & quis ab artis uſu tam remotus & eorum, quæ crebra experientia ſuggerit, tam ignarus eſt, ut eum fugiat, quantam moleſtiam, quæ vocant præcipitantia, in abuſum tracta, nobiliſſimo viſceri exhibeant quantumque detrimentum & incommodum eidem inferant, præſertim poſtquam *B. Ettmullerus*, in eleganti *de vero uſu & fero abuſu præcipitantium* differ-

dissertatione, id omnibus ad animum revocavit.

Id quoque non minus exploratæ veritatis est: (e) omnia quæ fluidum nervorum, quod spirituum animalium nomine efferre communi usu receptum est, a ventriculi opera avocant, divertunt, dissipant aut perturbatum eidem motum inducunt; labores scilicet & motus corporis immoderatos, evacuationes & hæmorrhagias nimias, veneris immodicum aut intempestivum exercitium, affectus animi inordinatos, intentionem mentis immodicam & præpoperam: hanc actionem haud parum turbare atque pervertere, adeo ut, ex verissima Medicorum sententia, plures inde atrocissimi morbi, hydropes, morbi ex hypochondriis eruditorum, tabes, febris, ita dicta, virginea, quæ ex absentia aut discessu desideratissimæ personæ, concurrentibus pluribus affectibus, amore, mœrore, desiderio, indignatione, accedente inquietudine & agrypnia sæpissime subnasci solet, exori-

Ph. XVII. Quæ nervos lædunt & fluidi in illis motum, digestionem lædunt.

Morbus virgineus

exoriantur, atque ex eo quoque verum ſit quod ait *Sanctor. Sanctorii Medicin. Static. Sect. V. Aphor. XIX. Exercitium animi & corporis violentum efficit velocem ſenectutem & mortem præmaturam minatur; citius enim ex Philoſopho moriuntur exercitati, quam non exercitati.*

Præterea perſpicuum eſt conſtatque inter omnes: vim atque actionem, qua cibus in ventriculo conficitur, multo (σ) vigilantibus quam dormientibus validiorem eſſe ac citius de die quam nocte peragi, quam vocant, coctionem, cum ad ſubactionem cibi veſpertini longiori utamur temporis intervallo quam ad ſubactionem meridiani, ac paucæ a prandio ad cœnam horæ intercedant, a cœna ad prandium altera etiam parte plures. Quo pertinet obſervatio *Braſſavolæ, Commentar. in L. II. Hippocrat. de vict. ratione in acut. Iuſſit,* inquit, FRIDERICVS *Imperator, duos mortis reos, æqualis temperiei & ætatis, opipare cibari, poſtea alterum a ſomno aliquot horis decollari, alterum*

Ph. XIIX. Vigilantes promtius conficiunt cibos quam dormientes

vero

vero a motu. Vnde in ventre prioris qui dormierat, deprehensæ adhuc sunt ciborum reliquiæ; in alterius vero ventre nihil. Adeoque iudicatum fuit, motum magis conferre coctioni, quam somnus conferat. Atque hæc inprimis ratio est, quamobrem meridianus & quivis a pastu somnus plus damni quam commodi afferat, atque hinc ab iis, quibus vera somni causa explorata est, male audiat; laudato modo *Sanctorio l. a. Sect. IV. Aphor. 16.* & qui eleganter, ut solet, modo dicta confirmat ac illustrat Excell. *Bergero de Somn. Meridian.* Coctionis enim opus, usu id commonstrante, impedit, collectisque in stomacho cruditatibus corpus cacochymicum & debile reddit. Proinde nihil fere hanc operationem magis lædit quam (τ) abusus somnum inducentium, opiatorum, narcoticorum omniumq; cum medicamentorum tum potuum calidiorum, quæ sanguinem rarefaciendi & expandendi vim habent*, spi-

Ph. XIX. Opiata lædunt ventriculum.

B

* Inde est quod vini generosi & meracioris

ſpirituoſorum, inebriantium. Atque hinc ſpiritus vini potatores proniſſimos ad cachexiam & hydropem eſſe quotidie experimur.

Ph. XX. In febribus appetitus deiicitur.

Et quis quæſo ignorat, quam (υ) præter naturam auctus in corpore calor appetitum & vires ventriculi proſternat? præſertim ſi cauſa vehementior & malignior in corpus irruat, ut non ſine ratione (φ) ex appetitu, cum viribus, ſubito & vehementer proſtrato certiſſimum malignitatis indicium petant Medici.

Ph. XXI.

Ph. XXII. Æſtate ventres ſunt debiliores.

Quemadmodum vero omnia quæ calorem in ſanguine ultra quam ſatis eſt accendunt, appetitum imminuunt & ſubactionem alimentorum impediunt, ita & (χ) aer ferventior, maximis æſtatis caloribus & anni tempore graviſſimo, quod plerumque in illud ſpatium incidit, quo caniculæ ſidus, coſmice, quod dicitur, cum ſole oriens orbem ſuccen-

racioris potio famem ſolvat, ſecundum *Hippocratem Aphor. II. 21.* Hinc quoque fumus tabaci famem quodammodo ſedare ſolet.

ſuccendere putatur, ventres imbecilliores reddit, ut plurimi tum parum comedant & conficiant ciborum. Hyeme (ψ) contra & temporibus frigidioribus appetitus denuo inſtauratur atque vis digerendi maior eſt. Dignum hoc viſum fuit *Hippocrati* quod obſervaret atque Aphoriſmorum opuſculo omnium ſcriptorum ſuorum exquiſitiſſimo, in quod non niſi κυρίας δόξας & ſelectiſſima quæque, pro ſumma, qua pollebat, artis ſcientia, congregavit, inſereret, quamvis falſa deluſus opinione, rem, quam recte tenebat, per falſo creditam cauſam minus recte expoſuerit. *Ventres* enim, *S. I. aphor. 15.* hyeme & vere *calidiſſimos* dicit, quos validiſſimos dicere volebat, nam eum in finem ſequentia verba ſubnectit: *in his igitur temporibus etiam alimenta plura exhibenda.* Cum enim exploratum haberet *Hippocrates*, hyemali tempore aptiores eſſe ventres ad ingeſta aſſumenda, ſubigenda & conficienda, quam æſtate, ubi imbecillitas quædam atque Ph. XXIII.

concoquendi difficultas se prodit; eamque inprimis opinionem amplecteretur: calorem esse qui cibos subigeret, hinc ut, pro succincta sermonis brevitate, qua totum illud opusculum, quod ἐν ὀλίγῃ λέξει, iudice *Galeno* δύναμιν μεγάλην comprehendit, conscriptum est, & rem & causam simul exprimeret, calidissimos ex errore dixit ventres validissimos potius dicendos. Falsa enim est communis sententia, hyeme corporum interiora magis calefieri, æstate vero cum caletur maxime, hiantibus poris frangi calorem atque expelli*, quemadmodum

* Vidit hoc atque agnovit doctissimus Aphorismorum *Hippocratis* interpres, *Io. Heurnius*, in *illustrationibus ad Aphor. 15. L. I. p. 54.* unde *Hippocratem* non affirmare dicit, calere hyeme simpliciter interna, sed circumfluere calore nativo, sive blando illo ac naturæ consentaneo. Nempe eam fuisse existimat laudatissimi senis sententiam, calorem ad temperiem naturalem magis accedere; atque temperatum calorem, qui ad naturæ ordinem

dum infra, ostenso erroris fonte, fusius demonstrabimus. Rem ipsam vero, quam rectius dedit ipse *Hippocrates* Aphor. sequenti 18. nec non *Galenus*, *Commentar. ad* dictum *aphorism. 15. per æstatem*, scribens, *minorem esse cibi appetentiam & concoquendi difficultatem*, certissimam esse atque calorem corpora debilitare,

Calor corpora debilitat, frigus firmat.

nem & leges magis est accommodatus, vigere inprimis tempore hyemali. *Docet*, inquit, *hoc aphorismo Hippocrates, hyeme a calore nativo interna maxime calere. Vnde forte quis existimet: æstivo tempore calidis cibis ac generosis vinis utendum esse. Respondemus hos falli. Nam Hippocrates non asserit calere hyeme simpliciter interna: sed dicit ea circumfluere calore nativo: hoc est blando illo ac natura consentaneo. Quare quacunque de causa exuitur id suo blandimento, degener a natalitia illa vi evadit. Sive enim nimium æstuet, desinet hac parte nativum dici.* Æstate autem æstuat nimium, *quare eius nativa vis acciditur* ab illa quam tunc concipit flamma; *& exiguum tunc est calidum nativum.*

tare, frigus firmare, integræ nationes exemplo suo docent, cum (ω) populi qui ad septentrionem habitant, quorum aura frigidior ambit corpora, vivaciores longe sint & voraciores ætque tardius etiam, ex observatione *Verulamii, Histor. Vit. & Mort.* aliorumq; rerum septentrionaliũ scriptorum, senescentes, gentibus loca calidiora incolentibus, quarum incalescens magis æstivis solibus aër solvit corpora, ut viribus imminutis digestiones & functiones non ita ac in aliis vigere possint. Hinc *Martinius*, in Itinerario ad Grœnlandiam, de insatiabili nautarum voracitate multa commemorat. In quibusdam vero Indiæ locis, referente *Mandelslo* in *itinerar. oriental.* ab *Adam. Oleario* edito c. II. p. 40. ob excedentem calorem semel tantum in die homines cibum capere coguntur. Hinc etiam in calidissimis regionibus, teste *Iacobo Bontio de Med. Indor.* frequentissimi sunt morbi, quos frigidos vocant Medici, qui tamen non a frigidiore sed debiliore corporis habitu & cruditatibus pitui-

Ph. XXIV.

Populi septentrionales sunt voraciores.

pituitosis, vitio digestionis collectis, oriuntur. Quo pertinent *Sanctorii Medicin. Stat. S. II. Aphorismi XXIV. & XXV.* ubi in aere calido corpus esse minoris roboris testatur, quamvis nec ipse, nec commentator *Listerus* veram rei caussam perspexisse videatur.

Dantur (αα) interea imminutæ huius actionis gradus, iique, tam pro ratione aeris magis vel minus calentis, quam pro diversitate constitutionis corporum, varii. Sane, quibusdam ferventissimum etiam anni tempus adeo non fraudi est, ut cupidissime cibos appetant & sine ulla difficultate conficiant. Ph. XXV.

Hæc ea sunt quæ de actione, quam curatius paulo examinandam suscepimus, cognita atque perspecta habemus. Nunc Naturæ ducentis vestigiis pressius insistentes dispiciemus, quænam sint proximiores caussæ ex quibus cuncta hæc procedunt. Cumque in *ventriculo* easdem quærendas esse extra dubium sit, in eo vero nil deprehendamus quam artificiosissimam partium

Quinque in ventriculo occurrunt, quæ considerari merentur.

tium *ſtructuram* & *nexum*, earumque, ſe conſtringentium, *motum*, ad hæc temperatum & blandum *calorem*, tum *liquorem aqueo-oleoſo-ſalinum* ſalivæ æmulum, nec non *exſpirationes* vel *halitus*, quos vocant, *ſpirituoſos*: hinc uni ex his aut omnibus ſimul in acceptis erit referendum quicquid hic perfici obſervamus; de quo tamen ut dilucidius conſtet, atque perſpicuum fiat, quodnam ex his ita comparatum ſit, ut ex illo & effectus, vera cauſali connexione, & omnes quæ eundem circumſtant conditiones ſecundum genuinas Naturæ leges, evidenter deduci atque inde vere, nec, pro rei ſtatu, alia ratione poſſibiles menti ſiſti poſſint, ipſum *ventriculum* quoad ſtructuram, motum, temperiem & in eo provenientem liquorem & exſpirationes halituoſas contemplari iuvabit.

Ventriculi contextus. Quodſi itaque accuratius ventriculum intueamur eiusque ſtructuram perquiramus, membranaceo-carnoſo-nerveo glanduloſoque contextu eundem conſtare comperiemus.

nus. Figuram accepit oblonge ro- Figura.
undam, a ſiniſtro latere ampliorem
ibboſam, a dextro vero in angu-
tum magis contractam, utri ut pa-
toritio haud abſimilis ſit; Orifi- Orificia.
ium utrinque exporrigit, ſiniſtrum
lterum quod & ſtomachus, καρδία,
ninus recte vero ſuperius appella-
ur, per quod ex gula patet aditus;
lterum dextrum, quod pylorum
quaſi ſit πύλας ὠρῶν) ſive ianitorem
ocant Anatomici, ex antro capa-
iori ſenſim anguſtato in parvum
oramen deſinens atque inde retor-
um in duodenum inteſtinum con-
inuatum: quemadmodum pluri-
us hoc antrum deſcribit atque
ſum ipſius, pro inſigni, qua valuit,
um experientia tum ingenii acu-
nine, exponit *Williſius Pharmac. ra-
ion. S. I. cap. 2. de prim. viis p. m. 14.*
Situs eſt ventriculus in ampliori ab- Situs.
dominis cavitate, ubi ad extenſio-
nem, ab ingeſtis cibis ac potibus ſu-
ſtinendam, ſpatium habet, ſub dia-
phragmate. A dextris hepatis ca-
va parte excipitur, quæ ipſi in- & ac-
cumbit. A ſiniſtris lienem attingit.

A tergo lumborum vertebris, ubi arteria magna & vena cava transeunt, adiacet. Fundo colon subiacet & pancreas pulvinaris instar substratum est. Quoad substantiam ex tribus lamellis, quas tunicas vocant sectionum Magistri, coagmentatus est. Extima, communis dicta, quam a peritonæo cohærente propagatam vulgo tradunt, (quanquam, accurate loquendo, nulla pars alteri natales suos debere dici possit, cum omnes ex præexistentibus in ovulis staminibus simul oriantur,) fibris componitur membraneis ab uno orificio supra fundi ambitum ad alterum excurrentibus, subiacentis musculosæ tunicæ fibras ad angulos rectos secantibus easque colligando quasi in situs ordine valide detinentibus ac prope orificium & fundum ac fines ventriculi, ubi crassitiem carnosamque speciem induit hæc extima tunica cum illis ad motum concurrentibus, quemadmodum id multa elegantia & eruditione ostendit Anatomicorum Germanorum decus & delicium *Io.*

Membranæ.

Communis.

Maur-

Maur. Hoffmannus, *Consil. & Arch. nold. Brandenb ac Prof. quondam Alt. orf. Id. Mach. Human. Sect. V. §. 13.*

26. Huic alia ſubſternitur fibrarum carnoſarum motricium robu- Carnoſa.
ſtarum multiplici ſerie contexta, quarum aliæ longitudinales ad figuram ventriculi accommodatæ, modo aſcendunt, modo deſcendunt, modo incurvatæ transverſo tractu incedunt. Aliæ circulares totum ventriculi cavum ambiunt & pro irregulari ipſius figura nunc recta a ſummitate ad fundum nunc obliquę magis flectuntur. Has in ſpiram contortas & cum ſimilibus œſophagi ac inteſtinorum continuas helicem muſculoſam ab œſophago ad anum productam efformare alii cum celeberr. *Cole*, Anglo, *in Diſſ. de Mechan. rat. periſtalt. inteſt. motus ex obſerv. anatom.* tractatui de *Febrib. Intermitt.* adiecta, non ſine ratione contendunt. Excipit hanc tertia fibris nerveis ac tendineis pertexta Nervea.
vaſorumque ſanguineorum ac acinorum glanduloſorum minimorum copia inſignis, quæ, quum reliquis multo

multo ſit amplior, in varias plicas, rugas & inæqualitates ab illis ſuperextenſis contracta interioris ſuperficiei ambitum haud parum auget. Cumque hæc præ reliquis exquiſitiori ſenſu ſit prædita, cruſta quadam villoſa, ad moderandam fortiorem obiectorum impreſſionem, eandem munire placuit divinæ providentiæ ac benignitati; quæ cum in aqua fervente aut ſpiritu vini macerata aliquo modo indureſcat, præterea ex propagatis a dicta modo nervea denſiſſimis vaſorum ſanguineorum ramulis aſſurgens tota ex fiſtulis & plexibus glandiformibus, ſuccum rigandis molliendisque cibis utilem ac neceſſarium promentibus, contexta ſit, (quamobrem rectiſſime *Malpighius* ventriculum amplam vocat extenſamque glandulam) conf. *Excell. Bergerus de Natura hum. L. I. cap. VII. p. 137.* non immerito ſeparata & quarta ventriculi tunica habetur; tantum abeſt, ut, quemadmodum veterum ferebat ſententia, nil niſi excrementitia mucilago ſit.

Cruſta interior villoſa.

Ad-

Adhæc vasis etiam prospectum Vasa Arteriosa.
st ventriculo, per quæ diversi gene-
is fluida in eum influunt. Arte-
is rigatur quinque insignioribus ab
ortæ ramo cœliaco eiusque, cum
extra hepatica, tum sinistra spleni-
a, propagine productis. Et huic
uidem amplior & elatior ipsius
ars suam debet coronariam, fun-
us & omentum gastro-epiploicam
: sinistrum orificium gastricam sini-
ram. Illi vero pylorus gastricam
extram sive pyloricam & fundus
um omento gastro-epiploicam
extram in acceptis fert. Has ve- Venosa.
æ comitantur a vena portæ eius-
ue ramo splenico & mesenterico
riundæ. Nempe a trunco istius
enæ gastrica dextra, alias pylorica;
splenico ramo gastrica maior, illius
teris orificium coronæ in modum
ngens, unde coronaria dicitur;
um gastricæ minores & sic dictum
as breve nec non gastro epiploica
nistra; a mesenterico gastro epi-
loica dextra proficiscuntur. vid.
eslingius Syntagm. Anatom. Cap. III.
m. 34. 35.

His

His præter canaliculos ſeroſos ſe vaſa lymphatica a clariſſimis viri *Ruyſchio*, *Nuckio*, *Vieuſſens* exhibit accedunt etiam nervi, a pari octav (quod vagum vulgo dici ſolet, quo niam ramificationibus ſuis totan medii ac infimi ventris cavitaten pervagatur & propagines ad long diſſita viſcera protendit) profecti & non modo pluribus ſurculis reticul in modum ſibi intextis plexum il lum inſignem iuxta ſiniſtrum orifi cium, (quod, ob exquiſitiorem, qu eidem exinde accedit, ſenſum, ap petitus ſedes creditur) efformantes ſed & frequentiſſima propagin ipſas tunicas ſubeuntes, ubi notabi les quoque ſurculi paris intercoſta lis, hypochondria & abdomen hu illuc perreptantis, iisdem occurrun & iunguntur. Vt inde non ſin ratione conſenſum ventriculi, cum cerebro, corde, utero, aliisque me dii infimique ventris viſceribus, præ euntibus *Vieuſſens* & *Williſio* dedu cant auctores.

Nervi.

Vſus vaſorum.

Vaſa hæc atque nervi, uti iam ſubinnuimus, diverſi generis fluid

ven

ventriculo advehunt. His tota eiusdem compages animatur, nutritur & agit. Hæc eidem & legitimam constitutionem contribuunt & vires. Scilicet per omnem illius ambitum elegantissima ramificatione propagata diversa texta constituunt, ex quibus arteriosum & nervosum speciatim attendi merentur. Vtroque enim, a diverso assidue influente liquido, rite distento, tota ventriculi contextio panditur ac incitatur: & quando utrumque mutua ac proportionata pressione & lucta, utroque alterne influente liquido, sibi obnititur, ita ut æquilibrium alternis vicibus pereat & restituatur, non tantum sanguinis & lymphæ per vasa minima motus, promovetur sed & iusta tensio, tonus & ad agendum habilitas ventriculo eiusque fibris accedit. Nempe arteriæ sanguinem a corde expulsum calentem, partibus nutriciis fœtum, inferentes, & blando calore fibras perfundunt, & succum gelatinosum suppeditant, quo eædem distenduntur, nutriuntur & totius

con-

Venæ ſubtiliorem chyli partem e ventriculo hauriunt pro ſubitanea refectione.

conſervationi proſpicitur. Venæ ſanguineæ pariter & ſeroſæ ſeu lymphaticæ liquidum arterioſum & quicquid a nutritione reſiduum eſt, ſeparato tramite, ad cor reducunt, inſuper etiam e ventriculi cavo ſubtiliorem chyli aut potuum ſpirituoſorum portionem immediate recipiunt atque breviori via ad cor deferunt: quod ſicuti ſubitanea ſæpe a cibis & potibus confortantibus vix oblatis refectio, tranſpirabilis item membranarum & vaſorum textura comprobat, ita oculorum fides, in experimento, ad mentem celeberr. *Vieuſſens*, adiumento eſſentiæ croci inſtituendo, de eo nos dubitare non permittit. Scil. eſſentiam croci ſolertiſſimus vir ventriculo, poſtquam internam ſuperficiem aqua frigida deterſiſſet, infudit, atque intra breve temporis ſpatium non modo ſtomachi parietes ſed & vaſa ſanguifera tam ventriculi quam omenti; cum ductibus adipoſis, flavedine infecta deprehendit, vid. *Nov. Vaſor. corporis human. ſyſtema p. 30.* ubi & aliis ſimul obſervationibus idem confirmat.

nat. Nervi denique ſuccum in Vſus nervorum.
erebri corticali ſubſtantia ſegrega-
um atque aſſiduo arterioſi ſyſtema-
is impulſu expreſſum ac per fibras
nedullares protruſum advehunt,
enuem atque delicatum, cuius in-
luxu fibræ potiſſimum animantur,
tringuntur, variasque pro diverſa
ui ſtructura commotiones ſubeun-
es totius ventriculi varios motus &
ontractiones producunt.

Scilicet, ventriculum, ea, quam Motus ventriculi.
idimus, partium varietate contex-
um, aſſiduo quoque motu agitari
bſervamus, idque vi admirabilis
lius fabricæ. Mediam nempe tu-
icam variis fibrarum carnearum
notricium ordinibus coagmenta-
um eſſe tradidimus. Hæ fibræ ad-
ecto ab arteriis ſucco turgentes to-
dem conſtituunt elateres anima-
os, qui contrahi & reſilire, abbre-
iari & ad priſtinum ſitum ac longi-
udinem redire poſſunt, adeoque
um, influente, uti modo diximus,
er nervos ſucco, fibræ transverſæ
embranaceæ, quibus ad modum
mnis muſculoſæ contextionis ſunt

C præ-

prædīti & quæ totidem hic vectes constituunt, stringantur atque crispentur, non possunt non illi contrahi, breviores fieri & pro determinata sui structura, fibris transversis membranaceis continue obnitentibus, moveri, prout eleganter convenienterque partium constructioni & accuratioribus observationibus modum hunc actionis musculorum, reiectis cum ratione, aliorum opinionibus, explicuit lumen illud atque decus viri, cuius eleganti pariter ac solidæ eruditioni merito assurgit universa medentum ac Naturæ inquisitorum cohors, supra citatus Excell. *Bergerus*, *Archiat. Reg. & Profess. Med. Wittenb. Prim. de Nat. Hum. P. I. C. XXII. p. 303.* Agitatis ita fibris circularibus aut spiralibus potius, cum œsophagæis & intestinalibus unum veluti helicalem musculum componentibus, iisdemque superimpositis longitudinalibus, ventriculus tum secundum longitudinem, tum profunditatem nunc coarctatur nunc laxatur atque undante quadam agitatione, lumbricorum more

more progredientium, aſſidue movetur. Teſtes ſunt oculatæ manus in vivorum animalium anatome. Teſtes viri experientiſſimi & ex illis præſertim ſolertiſſimus ſenex, *Io. Iac. Wepferus, Med. Scaphuſ.* qui motum hunc ventriculi, quem vocant periſtalticum, in diſſectionibus vivorum animalium oculis ſæpius uſurpavit & accurate deſcripſit *Cicut. Aquat. Hiſtor. & Nox. Cap. VIII. p. 87.* cui iungimus clariſſ. Anglum *Chriſtoph. Pitt*, cuius ex autopſia petita obſervatio è *Tranſ. Angl. Menſ. Auguſt. A. 1698. in Act. Erud. Lipſ.* translata legitur *A. 99. Menſ. Mart. p. 113.* qua conſtrictionem in medio ventriculi, quæ in quavis motione deorſum facta illum introrſum cogebat, ut comprimeretur quod in cavitate illius hærebat, ſibi in canibus vivis, crebrioribus ſectionibus, diligentius exploratam deſcribit; omnesque motus tam regulares & ordinatos fuiſſe, quam illi quibus alias inteſtina agitari videmus, teſtatur.

Præterea ventriculum in epigaſtrica regione ſub diaphragmate lo- | Coarctatio alterna laterum &

 catum

exagitatio a partibus ambientibus.

catum & tergo arteriam magnam contingentem vidimus, unde non poteſt non fieri, quin ſub alterna, qua reſpirationis negotium abſolvitur, ventris dilatatione & ſubſidentia, cum repetito ſepti transverſi deſcenſu & compreſſione latera ad perpendiculum ſibi oppoſita millies & amplius in una hora ad invicem cogantur, diductis ad horizontem ſe ſpectantibus, tum, ubi illud aſcendit, muſculorum abdominis preſſura latera ad horizontem ſibi oppoſita toties coarctentur, ad perpendiculum vero ſe ſpectantia dilatentur, atque ita axes decuſſatim alternis vicibus extendantur & decurtentur, (quem tamen motum fruſtra quis in vivorum ſectionibus oculis uſurpare concupiverit, cum ſublata atque ceſſante, dum abdomen aperitur cauſa, effectus quoque tollatur & ceſſet,) atque inſuper dictæ arteriæ pulſibus ter millies quingenties, unius horæ intervallo, ſuccutiatur.

Motum hunc ventriculi atque in illum impulſus non leves, ſed ſatis

vali-

validos exiſtere, ex eo perſpicere licebit, quod vir clariſſ. *Archibaldus Pitcarnius*, ex principiis Borellianis & Nevvtonianis, poſito, quod demonſtrare ſolent mechanici, potentias muſculorum ſe habere in ratione compoſita ex ratione longitudinum, latitudinum & profunditatum, h. e. in ratione ſolidorum homogeneorum, ſive ponderum; demonſtrare nitatur, vires diaphragmatis & muſculorum abdominis abſolutas æquare pondus 461219 librarum, nec proin cedere viribus lapidis cuiusvis molaris, *Opuſc. Med. Diſſert. de Motu quo cibi in ventric. rediguntur ad formam ſanguini reficiendo idoneam p. 85.* quæ additæ viribus abſolutis ſolius ventriculi, quæ ex iisdem principiis, ſubducto calculo, æquales deprehenduntur ponderi 117081 librar. vid. *Epiſtol. ad Pitcarn. opuſcul. annexa p. 252.* prorſus ſtupendæ ſunt. Et quamvis omnia ipſius aſſerta noſtra facere nolimus, illud tamen inde elucere exiſtimamus, vires ventriculum moventes & impellentes omnino ingentes

 eſſe,

esse, præsertim, si illud saltem expenderimus, quod Excell. *Stahlius, de Mechanism. motus progressivi sanguinis Thes. XIV.* inculcavit, solius motionis thoracis impetum seu vim motoriam ordinariam sub respiratione pondus centenarii multum excedere. Hoc enim ex eo manifestum reddit, quod si alicui supino centenarius in medium pectoris imponatur, ille inde non nisi valde tolerabilem laborem sibi additum putaverit, adeo, ut & respirationem ordinariam & præter ipsam hoc pondus sine summo labore possit movere, atque centenarius respirationi oppositus eandem parum remoretur.

Ex quo facile colligere licet, quid villi papillares, plicæ, rugæ nervosæ & tendinosæ interioris ventriculi tunicæ, in subiectis rite constitutis, firmiter intensæ, duriores atque motricibus mediæ incumbentis tunicæ fibris, nec non partibus modo dictis, tanquam manu fabri ferrarii limam ducentis, fortiter agitatæ in alimenta iisdem interiecta possint. Ve

hinc

hinc non mirum, si Struthionis, Casuarii, Tardæ ventriculus, utpote, pro amplitudine densisque musculis, ex memoratis modo principiis, longe validissimus vitrum, nummos æreos, metalla eo usque ut vix papyrum crassitie amplius æquent, atterat, cum Galli Indici ventriculus, (cuius potentiam potentiæ ac viribus musculorum mandibulam humanam stringentium ac resistentiam nucum avellanarum nec non vesicularum vitrearum satis solidarum superare valentium, æqualem, atque hinc non minorem esse potentia 1350 librarum, eleganter, rationibus experientia suffultis ostendit ingeniosissimus *Borellus de Mot. Animal. P. II. C. XVI. Propos. CXCI.*) globulos vitreos, aliasque res duriores comminuat.

Potentia Ventr. in Gall. Indico.

Calorem etiam in ventriculo nos deprehendere diximus. Temperatus is est, blandus, una cum sanguine intestina suarum agitatione partium incalescente influus, atque a partium & viscerum ambientium fotu haud parum excitatus. Neque

Calor in ventriculo est temperatus.

Non datur calor innatus.

que enim innatum, peculiarem calorem, aut ignem ſui generis animalem, ex quo ſpecificum ventriculo temperamentum exſurgat, cuius virtute alimenta in chylum potius quam ſanguinem aut alium liquorem mutentur, quamvis omnes perquiramus angulos, hic reperire licet. Quemadmodum enim illa nubes, quam veteres pro Iunone amplectebantur, quæque plurimos ineptos falſiſſimarum in Philoſophia & Medicina opinionum Centauros peperit, iamdudum, affulgentibus verioris Philoſophiæ radiis, in fumum ſoluta evanuit: ita ſpecificæ huius operationis atque alimentorum non in alium quam lacteum liquorem reſolutionis evidentiſſimæ rationes, inferius exponendæ, ſuppetunt, ut non opus habeamus nugas atque commenta, detrimento veritatis, in ſubſidium vocare. Neque etiam videmus, ubi ſpiritum vitalem certis caloris gradibus inſtructum, de quo plurimas quidem apud auctores veteres pariter ac recentiores nenias, nihil autem in natura legimus,

Nec ſpiritus vitalis calore inſtructus.

ius, deprehendere liceat. Præ-
eriit illa ætas, qua verba ſibi dari pa-
iebantur eruditi & fumis paſcere
nimos moris erat. Certiora ex-
etimus, quæ ſenſus implent & pe-
tus ſaturant.

Tandem quod ad liquidi genus
i ventriculi cavo obvium attinet,
lud e ſaliva ſenſim deglutita, eque
ero e glandulis œſophagæis ſtillan-
e ac deciduo nec non lympha
uam fiſtulæ & acini tunicæ nervo-
æ & cruſtæ villoſæ promunt atque
lorant, ut & ea, quæ e poris arte-
iolarum perſpirationis interioris
eneficio colligitur, tenuium ac mo-
iliſſimarum partium, componi ac-
uratiores obſervationes ſatis ſuper-
ue docent. Oleoſi quoque & ge-
atinoſi quid in eo obſervamus,
uod cum lympha a ſanguine in
landulis interioris tunicæ ſepara-
ur; unde etiam paulo ſpiſſioris
onſiſtentiæ eſt iſte liquor quam ſa-
iva. Omenti ductus adipoſos
tiam aliquid pinguedinis ad ventri-
ulum deferre clar. *Vieuſſens* auctor
ſt, *Nov. Vaſor. C. H. Syſtem. p. 32.*

Origo liquidi in ventriculo.

idque ex eo colligit, quod essenti
croci infusa e ventriculi, semot
omento, inversi ac suspensi fund
stillare soleat. Nos sicuti id non per
tinaciter negamus, ita non rigide de
fendimus: hoc vero exploratum
habemus, liquorem hunc ex aqueis
salinis & oleosis, certa proportion
in unam massam combinatis mole
culis constare, imo ipsum esse serum
sanguinis in glandulis modo dicti
separatum atque ventriculo infu
sum, quod proprietates inprimi
cum illo communes testantur, sapo
aquosus, subsalsus, habilitas ad vari
generis moleculas imbibendum sibi
que associandum.

Elementa huius liquidi constitutiva.

Id enim dubio caret, prout san
guinis serum tot particularum gene
ra soluta tenet, diluit & iisdem per
mixta unum liquorem constituit
ita liquorem hunc ingestis varii ge
neris, quibus corpus nostrum, varia
rum consociatione partium effor
matum, nutriendum erat, iam den
tium ministerio confractis, permi
sceri, eadem macerare & comminu
torum moleculas imbibere, sibi iun

ger

ere & in unum cum iis liquorem bire; ut non ſine ratione lympha æc gaſtrica liquor alcaheſt, circulaum maius animale, aut menſtruum niverſale audiat Inclyto atque de era Phyſiologia ac Medicina optiae merito *Bohnio de Menſtr. univerſil. animal.*; non quod omnia indiſcriminatim corrodat atque ſolvat, ed quod in tot animalium ſpeciebus, n tot alimentorum genera, quibus illa, inprimis hominem, frui contingit, concurrentibus aliis cauſis, potenſiam ſolvendi exerit, i. e, quod ad iſſumta ſpeciei congrua quævis inlifferenter ſe habet ac ſibi convenientem ſubſtantiam ſeligit & ſeparat. Eſt menſtruum univerſale.

Hæc vero ſolvendi potentia a mechanica partium conſtituentium habilitate dependet, qua partes aqueæ oleoſis implicitæ gelatinoſa viſciditate alimentis adhæreſcunt, ac ſalinis ſpiculis quodammodo acuminatæ in poros eorum ſe inſinuant ibique aſſidue, pro ſua mobilitate, commotæ, tanquam innumeri cunei illorum, & quidem teneriorum texturam Vis ſolvendi unde ſit?

turam diffringunt, duriorum verc laxant & ad comminutionem al aliis cauſis perficiendam diſponunt tandemque, compage ſoluta, parte in motum inteſtinum ſecum abri piunt. Nec mirum videri debet ſuccum eiusmodi fere inſipidum motu tamen aſſiduo volutatum, toi corporibus ſpecie diverſiſſimis per miſceri & eorundem comminuto rum moleculas ſibi aſſociare poſſe, cum experientia Chymicorum con ſtet: inſipida ſæpe, ceteris paribus, plus poſſe in corporum ſolutionibus, quam corroſiva mordaciſſima. confer. doctiſſimi *Frid. Schraderi, de Inſipidorum efficacia Diſſert.* ubi inter alia annotavit, integrum agnellum, ſola ſimplici aqua, ita, cum omnibus fere partibus, leni calore, a celeberr. *Meibomio*, fuiſſe reſolutum, ut mucilaginem meram referret.

Liquor ventriculi non eſt acidus nec ſepticus.

Ex quo intelligitur, quo loco habenda ſit illorum opinio, qui acidum, ſepticum & corrodentem hunc eſſe liquorem, falſis inducti illationibus, ſibi perſuadent, atque illa ipſa

ıſa vi corrodente cibos eundem ɔmminuere contendunt. Neque nim ulla ratione, in ſtatu naturali, cidum, ſive occultum, ſive manifeſum in ventriculis animalium detesre potuerunt ſolertiſſimi inquiſiɔres, ***Bohnius** Circul. Anat. Pro-ymn. X. p. m. 131.* atque ***Brunnerus**, e Lymph. & Pancreat. Vſu cap. 12.* um nec ſapor illud prodat, nec exerimenta cum alcalibus oſtendant, quidem nullus ex iis liquoribus, ui canalem alimentorum rigant, rupo violarum rubedinem, quod cida faciunt, inducit, aut cum alcabus fixis pariter ac volatilibus efferεſcit. Accedit quod acida eiusıodi maſſam qualis chylus eſt & ınguis præcipitent & coagulent, ıntum abeſt ut perficiant. Neque cida menſtrua ſunt univerſalia, ita t omnia indiſcriminatim ſolvant. tenim, fortiſſima licet, pinguia inıcta relinquunt & ab iis hebetanır, quæ tamen in ventriculo optiıe ſubigi atque comminui obſervaıus. Equidem acidis ſæpe ventriulum iuvari, appetitum excitari

atque

atque coctionem promoveri explo ratissimum habemus. Fallitur ta men maxime, qui ex eo id fieri pu tat, quod acidum ventriculi men struum iis excitetur aut acuatur quin potius fibras stimulando & it stomachi tonum confortando ill virtutem suam exerere ex infra di cendis planum fiet.

Metalla & corpora duriora in ventriculis volatilium non solvuntur sed atteruntur.

Neque corporum duriorum, vi trorum & metallorum in ventricu lis volatilium consumtio acidum hoc stabiliet: cum observationibu virorum celeberr. *Franc. Redi, I. A Borelli, Velschii, du Verney, Corn. Con sentini* evictum sit, hanc consumtio nem non deberi menstruo solventi corrodenti, sed potius lateribus ven triculi fortiter atterentibus, lapilli eum in finem & arenulis asperiori bus redditis; dum nummos æreo incurvatos struthioni exhibitos in parte solum convexa exesos & lite ras deletas Clar. inprimis *du Verne* Academiæ Parisiensi ostendit: cum tamen si menstruo corrodenti hic effectus fuisset adscribendus, nulla causa sit, quamobrem alteram par

ten

m, ad quam eidem non minus pa-
bat aditus, non etiam arroserit.
id. *du Hamel Histor. Regiæ Scient.*
cadem. Parisiens. L. I. S. IX. Cap.
I. §. V. p. 141. Præterea non in-
eganter succi acidi præsentiam &
xistentiam in gallinarum ventricu-
s ex eo impugnat experientissimus
eyerus, in *Anat. ventricul. gallinac.*
uod margaritæ a gallinis deglutitæ
x observatione laudatissimi *Redi*
xper. Natur. p. m. 111. in illarum
ercoribus integræ fere, nisi quod
ttritione aliquid decessisset, repe-
iantur, quas tamen ab acidis solvi
uis quæso ignorat? Accedit, quod
ec in piscibus, in quibus alias ob ca-
oris sensibilioris defectum, quic-
uid hic perpetratur, liquori solven-
i acido adscribunt, ille ipse inveniri
otuerit. Non prætereundum est,
uod ex *Francisci Willugbeii libris de*
istor. Piscium, iussu & sumtibus
egiæ Societ. Londinensis, a *Iohanne*
aio suppletis & editis, refert doctiss.
eudérus, *Diatr. de Ferment. S. II.*
. I. p. 71. de Medico quodam, no-
ine *Tovvns*, qui in stomacho piscis
Lamiæ,

Nec in piscium ventriculis liquorem acidum reperiri licet.

Lamiæ, in tantam quandoque excrescentis magnitudinem, ut 4000 libras pendere visus, (unde non sine causa belluam marinam, quæ Ionam deglutivit, huius generis piscem fuisse existimant,) invenit integrum cadaver fœminæ, non adeo multo ante in mare coniectum, totum fere usque ad ossa iam solutum & liquatum, nec quicquam tamen in illo stomacho acidi gustu deprehendere potuit. Plura alia argumenta, quæ pro stabiliendo acido ventriculi menstruo, præeunte *Helmontio*, ambitioso errorum promocondo, auctores gravissimi adferre solebant, doctissime soluta vide apud *Bohnium l. c. Ortlob. Hist. Part. & Oeconom. C. H. sec. Nat. Diss. V. §. XII. p. 39. Geuderum de Ferment. Sect. II. Cap. 1.*

Exspirationes quid?

Exspirationes halituosæ nihil aliud sunt quam subtilior seri roscidi pars, sive exiles, vaporosæ, agiles moleculæ, ex tenuissimis tunicæ vasculosæ, arteriis, venis, nervis ditissimæ, poris & siphunculis exsilientes, mobili acie præditæ, in rorem tenuem,

spu-

ɔumoſum, partibus mobilioribus, ive, uti loqui amant, ſpirituoſis, ſalinis volatilibus* plenum congregantæ, & proinde a lympha tenuiori,

D quæ

* Salibus volatilibus turgere iſtos halitus ex eo ſatis apparet, quod dum ventriculus, in vivis vel a morte adhuc tepentibus animalibus, aperitur, odor gravis & acutus, a ſale volatili cum partibus ſulphureis commixtis oriundus, percipiatur. Sicuti ipſam lympham gaſtricam volatili ſale refertam eſſe inde perſpicere licet, quod ad modum ſalium volatilium, cum ſolutione ſublimati album lacteumque colorem producere ſoleat: uti pluribus hoc experimentis, in pullis, cuniculis, canibus, hircis, luciis, tincis &c inſtitutis, oſtendit & illuſtravit clar. *Virideti de prim. coct. P. I. c. 2.* Cum enim ex animalium iſtorum a morte adhuc calentium ventriculis liquores ſumſiſſet, atque ſingulis ſeparatim, in ſcyphis vitreis, ſolutionem ſublimati ſuperfudiſſet, *quidam*, ita ipſius verba habent, *albuere, quidam lactuere & fere omnes in ſedimentum vel album vel albeſcens & candicans præcipites ivere.*

quæ ad liquidum gastricum, ante dictum, concurrit, non, nisi agilitate & subtiliori partium resolutione, diversæ.

His itaque, quæ in ventriculo digna consideratione occurrunt, penitius paulo pervestigatis, vera nunc subactionis ciborum causa detegenda est, utpote quæ, iis probe perspectis, in occulto amplius latere nequit. Nihil enim ad eam exploratius pernoscendam superest, quam ut vires rerum, quas modo vidimus, & leges expendamus, ac quænam ex illis possibilem, quem quærimus, effectum admittant & cui proportionatus ille sit, demonstremus. Cum enim, quod bene ac sapienter inculcat doctissimus *Wolffius*, *Consil. Reg. & Math. Prof. apud Halenses longe dignis.* in *Præfat. ad Aerometr. s. verioris Physicæ Specimen*, Physica sit ea Philosophiæ pars, in qua demonstrandum quicquid per vires corporum naturalium possibile existit, & per consequens δυνάμεις sive potentiæ perscrutandæ prius sint, quam amabilis veri participes fieri possimus;

Vires rerum in Physica potissimum perscrutandæ & cum effectibus conferendæ.

nus; hinc vires memoratarum mo-
lo rerum cum effectu conferemus,
& quænam ex illis non tantum ipsi
effectui, sed & omnibus, quæ eun-
dem circumstant conditionibus ad-
æquatæ sint? disquiremus.

De calore quidem, quem plurimi
veterum veram huius effectus cau-
sam credebant, alimenta in ventri-
culo non aliter ac carnes in olla
coqui opinati, primo videbimus.
Equidem rationibus eorum opinio
non destitui videbatur: cum ven-
triculus, quod supra vidimus, non
solum a sanguine per vasa influo in-
calescat, sed & blando partium am-
bientium, quibus, haud secus ac vas
chymicum prunis, calentibus are-
nis, aquis & vaporibus cingitur, ca-
lore foveatur. Accedit quod me-
dicamenta sic dicta calida in- & ex-
terne adhibita egregia sint stoma-
chica, & nihil sæpe magis soletur la-
borantem ventriculum, quam cor-
pus calidum externe applicitum.
Sicuti id quoque expertæ veritatis
est, quo vividiori calore vegetantur
corpora, eo promtius atque melius

 ali-

alimenta ſubigi; quo remiſſior vero calor cum ſanguine lenteſcente vapido per corpora diffunditur, eo ſegnius cibos comminui: exemplo Iuvenum atque Senum.

Num calor ad effectum hunc producendum ſufficiat? Quod negatur.

At vero, licet hæc leviter intuenti ſpecioſa videri poſſint; quodſi tamen vires blandi & temperati huius caloris, non enim alium, quam qui cum ſanguine influit, hic agnoſcimus, curatius perpendamus, facile apparebit, leviora eſſe, quam quæ nobis id, quod auctores illi ſententiæ addicti inde elicere ſuſtinent, perſuadere poſſint. Digeſtioni ſcilicet non coctioni aut elixationi calor hic animalis ſufficit. Multo eſt ille mitior quam qui compagem ſæpe firmiſſimam ingeſtorum, crudarum carnium, aqua ferventiſſima, urgente fortiore ignis gradu, ad aliqualem mollitiem non ita brevi reducibilium, in animalibus carnivoris, quin & hominibus (cum dentur integræ nationes, Æthiopes, Incolæ Capitis bonæ ſpei, Cafres, quos Hottentotas, a ridicula & inepta loquela, dicunt, Braſilienſes anthropophagi

quæ

quæ crudis carnibus delectantur: quo & ille insatiabili abdomine gurges, qui sub initium huius seculi Saxoniam & Marchiam peragrabat, atque canes, feles similiaque animalia viva cum pilis & ossibus magna aviditate devorabat, est referendus,) tam brevi temporis spatio laxare, solvere, &, quæ solida erant fluida, reddere possit. Quid quod ne quidem albumini & vitello ovi indurandis & ad concretionem perducendis sufficiat? quod multiplici experientia sub frequenti canum dissectione addidicit *Ioh Virideti Tr. de prim. concoct. P. I. C. III. p. 13.* confer. inprimis doctissimus *Borellus de Mot. Animal. P. II. C. VIII. Prop. XCVI.* ubi in cervo vivo thermometris se mensurasse gradum caloris animalis, & quidem in corde, pulmonibus, iecore, intestinis, eumque similem in his partibus fuisse, nec 40 in thermometr. grad. excessisse, & proinde non intensiorem extitisse, quam esse solet in Italia gradus caliditatis solis æstivi, testatur.

Præterea si a solo calore est con-

coctio, quomodo aquatilia, vasti Oceani incolæ, quomodo exsanguia, in quibus nullum sensibilem calorem observamus, alimenta subigere poterunt? Adhæc ita comparatum esse calorem corporis animalis novimus, ut aliquo modo saltem increscens coctionem ita dictam magis lædat quam iuvet. Apparet hoc, ubi sanguis & corpus a causa febrili, a motu nimio, a potibus spirituosis, ab aëris fervore tempore æstivo incalescit: nempe calor excedens magis quam deficiens, quod infra docebimus, vera debilitatis ventriculi, temporibus anni calidissimis, causa existit. Sanguinis enim tum maiorem esse fervorem, intensiorem motum, maiorem expansionem & per consequens corporis auctum non imminutum calorem, evidentissime ostendunt sitis intensa, sudor, quo corpora diffluunt, ebullitiones & eruptiones sanguinis, hæmorrhagiæ plurimaque similia.

Calor increscens actionem hanc magis lædit quam iuvat.

Calor excedens æstivo tempore ventric. debiliorem reddit,

Ad medicamenta spirituosa calida aromatica quod attinet, ea non tam virtute calefaciente id quicquid est

Calida & aromatica quomodo actionem

est emolumenti hic adferunt(quum largiori quidem dosi exhibita, non secus ac alia calidissima, opiata, narcotica, inebriamina, coctioni potius præpedimentum obiiciant,) quam virtute incidendi & nervina cruditates incidendo & corrigendo, nec non fibras stimulando & liquidum nerveum ad influxum invitando, idemque partibus subtilibus mobilibus excitando & compellendo. Etiam medicamenta frigida, acida, salina, egregiam, omnium consensu, in appetitu ciendo & concoctione promovenda præ aliis opem ferunt, quis vero tam ineptus esset, ut exinde, frigus esse quod alimenta in stomacho comminuat, concluderet? Corpus calidum externe applicitum eo in casu prodesse solet, ubi destructo inter textum arteriosum & nervosum æquilibrio, huius prævalente nisu spasmodice contrahitur ventriculus, (unde vomitus plerumque coniunctus est,) vasa comprimuntur, sanguis repellitur atque frigida intemperies eidem inducitur. Tum enim, accedente blando

hanc promoveant?

 calore,

calore, sanguis leniter expansus arterias distendit, fortiori nisu nervis constrictis obluctatur, ut tandem, restituto æquilibrio, pristinum tonum & actionem recuperet ventriculus. Inde vero quis calorem potissimam chylificationis causam diceret? Exemplum Iuvenum atque Senum similiter involvit fallaciam non causæ ut causæ. Actio hæc non eam ob causam præ his in illis viget, quod in illis, sanguine volatiliore & mobiliore existente, multo intensior calor observatur, sed quod Iuvenes præ Senibus maiore, sicuti omnium partium ita quoque ventriculi firmitate & robore pollenr, quamvis non negaverimus illud ipsum robur a sanguinis iusta temperie & vividiori motu maximam partem proficisci.

Iuvenum & Senum exemplum hic non probat quod probare debebat.

Denique si caloris in chylificationis negotio maximæ partes sunt, cur somni tempore, ubi stragulis contegitur corpus, segnius illud procedit, quam nobis vigilantibus? Num forte somnus est a causa fridida & ex consequenti corpus reddit frigidius? quem-

Somnus non est a causa frigida.

uemadmodum antiquitati fuit ersuasum: vid. *Hippocrates lib. de at. p. m. 300.* * Non existimamus. Aliud nos docet sensuum fides; liud verior recentiorum physiologia, qui sanguinem tum temporis inalescere magis **, expandi, inter lia ex turgidiore corporis habitu nec non ex eo ostenderunt, quod

D 5 omnia

* Ipse tamen *Hippocrates* alibi *VI. Epidemic. Sect. IV. 12.* eum qui dormit intus magis incalescere existimat.

** Sic clar. *Willisius* sanguinem plus accendi multoque uberius deflagrare in somnis quam in vigilia affirmat, atque ex *Sanctorii* observationibus staticis; *quatenus nempe dormientes ad ponderis longe majoris decessum exhalant quam vigilantes, adhibitis licet exercitio & sudore*, confirmat. *de Anima Brutorum P. I. C. XVI. p. m. 136.* Quæ sententia, licet imaginariæ hypothesi de principio vitali igneo, flammula cordis spiritibusque vitalibus igneis innitatur, si tamen cum grano salis accipiatur & secundum saniorum mentem explicetur, veritati omnino consentanea est.

omnia, quæ ſanguinem calefaciendi expandendi & rarefaciendi vim habent, ſomnum inducunt: atque hæc etiam cauſa eſt, quamobrem temporibus anni calidiſſimis ad ſomnum facile propendamus.

Ex quibus liquido conficitur, calorem, quamvis non omnino nullæ in plurimis animalibus, ipſius hic partes eſſe poſſint, præcipuæ tamen chylificationis cauſæ munus ſuſtinere nullo modo poſſe. Et quamvis etiam Machinam ab illuſtri *Boylio* in fraudem canum, iudice clar. *Morhofio*, inventam, & a celeb. *Papino* sub *Coqui* ſ. *Digeſtoris novi* nomine deſcriptam, conf. celeb. *Sturmii Phyſic. Electiv. S. III. C. III. p. 539.* in exemplum adducere velimus, qua ſolius caloris adminiculo, coctione in aqua ſimplici inſtituta, duriſſima etiam animalium oſſa ad mollitiem gelatinæ attenuari ac edulia reddi poſſunt; maxime tamen diſpar ratio eſt vaſis huius & ventriculi. Illud ex aere conflatum & firmiſſime clauſum eſt, proinde vis aëris rarefacti omni exitu ſolicite præcluſo, in aquam fer-

Machina Papiniana fruſtra hic in exemplum allegatur.

ven-

entem omnis convertitur illiusque alidissime compressæ partes in poos subiecti solvendi indesinenter npellit & violentissime adigit. In oc vero utre membranaceo, duous orificiis vi non magna recludenis prædito, nec ista vis ignis urget, ua liquor fervorem concipere ueat, nec aëri rarefacto ita exitus ræcludi potest, ut converso in liuorem impetu eundem in contena comminuenda impellat.

Num liquor ventriculi cibis comminuendis aptus sit.

Progredimur ad liquorem in entriculo e tot fontibus confluenem, visuri, num ille aptus natus sit, t duriora alimenta in minimas moeculas discerpat & calore adiutus in hylum redigat. Emolliendi, maerandi, ciborum contritorum moeculas sibi associandi ac imbibendi acultate illum præditum vidimus. Num vero tanta eidem sit solvendi otentia, qua cibos, inprimis crudiores & duriores solis dentibus laceraos conficere, & soluto firmiori conextu, in liquorem dissolvere, adnstar menstruorum s. liquorum solventium chymicorum, possit, merito

to dubitamus. Ex acido corrodentem aut ſepticam eidem vim ineſſe, qua id præſtare queat & qua, quod recte monuit *Pitcarnius*, fruſtra reclamante *Liſtero*, ipſi ventriculo continenti, ex iisdem quippe, quibus alimenta conſtant, partibus coagmentato, aut etiam glanduloſis acinis & tubulis, quemadmodum ſerum acre ſcorbuticorum aut lue venerea infectorum, ſalivales glandulas corrodere ſolet, vim inferret, iam ſupra cum ratione negavimus. Pauciſſima ſpicula ſalina cum partibus volubilibus aqueis ſociata blandoque calore agitata macerandis cibis non diſſolvendis apta ſunt. Vnde celeb. *Walæus* panem in calida ſaliva bileve bubula aliquot horis quidem macerari, ab iis tamen non comminui vidit. *Epiſt. de Mot. Chyl. ad Thom. Bartholinum, Anat. Bartholin. annex. p. m. 533.* Atque hinc etiam in experimento, a Perilluſtri Domino a BRVNN inſtituto, cibi in canis ventriculo nullam mutationem paſſi ſunt. Nempe cani, ſtomacho protractiori inedia inanito,

fame-

melico esculenta obiecit parca
ıanu, quæ avide devoravit brevi
ɔncocturus: abhinc pastum ob-
'uncari iussit uno securis ictu.
'entriculum menstruo efficaci re-
:rtum una cum modico, quem an-
: sumserat, cibo exemit celeriter;
alentemque, constricto utrinque
rificio, immersit in aquam calidam
ıro digestione, atque fovit eadem
emperie per aliquot horas. In
lissecto abhinc reperit assumta ea,
ıua ingesta fuerunt, forma, nec quic-
ıuam mutata. vid. *Glandul. Duo-
len. seu Pancreas secundar. p. 82.*

Equidem experimentum nobis ɔroponit Illustris *Boyle de Vtil. Phil. Experim. P. II. Exerc. I. §. 32. nec ıon Histor. Fluidit. & firmit. Part. I. S. VI. p. m. 244* ex quo, Naturam in ventriculo cibos forti quodam aptoque liquore, ad exemplum aliorum ex hypothesi præsumpta similium, in chylum & sanguinem redigere, suspicio non sine magna verisimilitudine subnasci posset. Scilicet ope menstrui ex vitriolo parati carnem pulli, inter digitos, pro com- Experimentum *Boylii*.

pen-

penſando maſticationis defectu probe contritam unius horæ ſpatio in maſſam coloris & conſiſtentiæ gelati, ceu vocat, cydoniati, redactam imo mane ſequentis diei in liquorem coloris ſanguinei aut purpurei converſam obſervavit. Idem experimentum tentavit cum fruſto carnis vervecinæ, pane, particula vitulina edulibusque aliis, & operationem liquoris ubivis uniformem, maioris tamen in carnes efficaciæ, expertus eſt. Geminum huic eſt, quod non minus clariſſimus Anglus, *Clopton Haverus*, in medium profert. Hic cum ciborum in ventriculo ſubactionem ſalivæ tribueret, eamque pro liquore haberet ex binis aliis compoſitum, acido altero, altero oleoſo, oleo terebinthinæ non prorſus abſimili, ſequens inſtituit experimentum. Aſſumſit fruſtum carnis crudæ, idque diſſecuit in minuta magis, ſed iis tamen maiora, in quæ maſticatione reducitur, paniſque micis admixtis oleum terebinthinæ & oleum vitrioli affudit; quam maſſam, cum per quatuor horas in balneo

Haveri.

ılneo maris digeſſiſſet, in pultem
dactam deprehendit: prout e
ollect. quor. Nat. Phænom. una cum
ſcurſ. coram Societ. Reg. ad promo-
nd. Scient. Phyſ. & Math. Londin.
05. in lucem emiſſ. referunt *Act.*
rud. Lipſ. collectores A. 1705. Menſ.
ec. p. 546. Quo referas & illud
ackenii acidum, quod in vitro
mne alimentum, quatuor vel quin-
ue horis, in lacteum chylum ex aci-
o ſalſum ſubegiſſe dicitur. *Hippocr.*
hymic. Cap. XIII. p. 88. At vero
cet hæc, quæ doctiſſimum *Boylium*
tque *Haverum* magis illuſtrationis
uam probationis aut veræ demon-
rationis ergo attuliſſe credibile eſt,
a ſe habeant, nondum tamen evi-
tum eſt, eodem modo ſimilique
lvente liquore ſ. menſtruo cibos
ı ventriculo ſubigi. Similitudo
nim eiusmodi menſtruorum arte
aratorum cum liquore gaſtrico
on erat ſupponenda, ſed liquido &
videnter demonſtranda. Nec li-
et a ſimilitudine effectus, qui ta-
ıen & hic in multis eſt diſſimilis, ad
dentitatem cauſæ concludere.

Tackenii.

Similitudo menſtr. natural. & artific. non ſupponenda ſed probanda.

In-

Alii fermentationem in subsidium vocant.

Interea sunt qui cum probe hæ tenerent atque, liquorem hunc ventriculi nuda solutione alimenta in liquorem non posse redigere, perspicerent, fermentationem in subsidium vocarunt, eaque intercedente lympham gastricam, tanquam ventriculi fermentum, cibos optime comminuere contenderunt. His vero regerimus cum Inclyta Illustris *Academ. Lipsiens. Facult. Medica in Liter. Respons. ad Cel. Vieussens Epistol. de Sanguin. Human. Fermenta hinc inde in machina animali ex analogia quacunque chymica a plerisque magis supposita, quam solide comprobata, æque ac ipsam sanguinis fermentationem proprie dictam apud nos ætate præsente deferbuisse.* Ex instituto id ipsum præ aliis ostendit, ac omnia, quæ ex adverso obmoliuntur, solide discussit vir diversis quondam elegantissimi ingenii monumentis clarissimus, longiorique vita dignissimus, *Melch. Frid. Geuderus, Poliater Stutgard. Diatr. de Fermentis*, ubi peculiari capite, *primo* scilicet *Sect. II.* opinionem de ventriculi fermento

Sed frustra.

doctis-

ctissime confutavit. Sane fer-
entum dici nequit liquor ventri-
ali aqueus, utpote qui soboles est
ri sanguinis & non, aliorum fer-
entorum adinstar, in minima mo-
massæ alimentorum adiicitur, sed
isigni quantitate e multis scaturi-
inibus ad ventriculum corrivat, &
ræter potulenta, copiose hausta,
limentis permiscetur. Præterea
on omnia alimenta sunt fermen-
escentia, tantumque abest, ut ex
ermentescentibus chylus semper
udabilis proveniat, ut potius ple-
umque cruditates & vitiosi, ace-
entes, humores & flatus ex iis ge-
erentur, inflationum, torminum,
nxietatum aliorumque sympto-
atum, quod Medici norunt, aucto-
es. Et cur dulcia, ad excitandam
ermentationem pronissima, ventri-
ulo sunt inimicissima, eiusque
ctionem insigniter lædunt? Nem-
e fermentatione chylus potius cor-
umpitur, acescit, vapidus fit, quam
ræparatur. Finis fermentationis
st spiritus inflammabilis, quem
emo hactenus vel ex chylo,

Fermentescentia non suppeditant chylum laudabilem.

E vel

vel ex ſanguine, vel ex carne aut etiam oſſibus elicere potuit.

Quod, cum ipſi huius opinionis Patroni perpenderent, non equidem communem & tralatitiam fermentationem hic locum habere dixerunt, ſed ſui generis, quam mentis humanæ imbecillitas hactenus declarare non potuerit, & quam eam ob cauſam nos etiam, cum clariora ſuppetant, admittere non poſſumus. Fermentatione mutatur res in rem: quod in chylificatione ſecus ſe habet, quicquid etiam *Merodanus Toparcha* præiudiciis occupatiſſimus opponat. Nihil enim hæc eſt aliud quam alimentorum in ſua minima reſolutio, quo utilia ab inutilibus, partes nutriciæ a recrementis ſecerni, a lympha gaſtrica imbibi & ulterius variorum organorum apparatu, ad neceſſarios uſus, præparari queant. Idque ex eo clariſſimum eſt, quod ipſa alimentorum minima fruſtilla, tum in chylo & ſanguine, tum in excrementis detegi poſſunt. Ita ſanguis, lac, urina odorem ingeſtorum, aſparagorum, fœniculi & ſimilium

Chylificatio non eſt transmutatio rei in rem.

um refert. Lac vaccarum & cararum partibus herbarum, quibus ro paſtu uti ſolent illa animalia, que inde derivatis virtutibus meicis refertiſſimum eſt. Carnes nimalium pro diverſitate conſueti limenti variant & naturam ingeorum imitantur. Turdi iunipeum reſipiunt & olent, eiusque virute etiam ſunt imbuti. Animalia, uibus piſces in quotidianum alinentum cedunt, piſcium odorem pirant carnesque eorum piſcium arnibus ſimillimæ deprehenduntur. Sic etiam excrementa alvina, nicroſcopiis a celeb. *Leeuvvenhœkio* ſubiecta, nihil aliud exhibuerunt, quam minutiſſima aſſumtoum filamenta, mole fere globulis ſanguineis ſimilia, vid. *l'Auteur du Mercure Sçavant Ann. 1684. Ianv. p. 51.*

Tacemus, plurimorum phænomenorum ſupra enarratorum rationem intelligibilem ex hac, de lympha gaſtrica ſive rodente acida, ſeptica, ſive fermenteſcente, opinione reddi haud poſſe: videlicet: Ratio plur. phænom. ex dicta opinione dari nequit.

Quare atonia ventriculi præcipue lædatur hæc actio?

Cur nervina & quæ tonum roborant præ aliis optima ſint ſtomachica?

Cur ſomni tempore ſegnius procedat hoc negotium?

Cur hyeme magis quam æſtate vigeat digeſtio? cum ex dicta hypotheſi contrarium potius evenire deberet. Aeſtate enim abſumto per nimiam tranſpirationem copioſo diluente vehiculo, propius coeuntibus partibus ſalinis, & ſeri & ex eo enati liquoris aut fermenti gaſtrici vis & aciditas augeri, proinde actio hæc non tam imminui quam promoveri debebat. Contra hyeme, ubi, ob imminutam tranſpirationem, collectis partibus aqueis, humores magis ſunt diluti, acidum ventriculi debebat eſſe debilius & inde actio hæc aliquomodo impediri. Item

Cur in ſenibus retardetur hoc negotium? in quibus tamen, ſtante hac ſententia, inprimis promoveri debebat, cum univerſa in illis humorum

im massa coacescente, lympha uoque gastrica acidior, salsior, crior & ad corrosionem aptior redatur.

Cur, si diutius abstineamus, perit appetitus.* & infringatur vis entriculi? ita ut modica ciborum

* Huc pertinet observatio clariss. *Diemerbrœck, Anatom. Corpor. Human. Lib. I. p. m. 33.* ubi refert, se ipsum aliquando & quadraginta peregrinantes ex Gallia reduces, in mari, vento plane deficiente, diutius hæsisse, atque, omnibus eduliis cum aqua dulci & quocunque potu omnino consumtis, ad tertium usque diem, sibi & aliis ieiunandum fuisse, ita, ut ne micam quidem panis, nec guttam potus habuerint; sed cum per sesquidiem vel paulo ulterius ieiunassent, nullum fuisse, qui famem senserit amplius, ita, ut tertius dies non fuerit molestus nisi sola corporis debilitate, neque arteriosum sanguinem aut succos acres & calidos per arterias in ventriculos seu eorum tunicas continue impulsos, in iisdem inanitis ullam corrosionem excitasse.

portio huic oneri ſit, atque moleſtiam ſatis ſenſibilem pariat, cum tamen fermentum eo in caſu maiorem concipere debuiſſet acrimoniam.

Cur alcalia, quæ acidum tamen infringunt, ventriculo inſigniter proſint?

Quamobrem, licet lubentiſſime largiamur, lympham gaſtricam ciborum, ab aliis cauſis ſubactorum, moleculas partim imbibere, partim a ſe invicem ſegregare & in continuo motu inteſtino indeque pendente fluiditatis ſtatu ſervare: eandemque fluidam magis & partibus volatilibus, agilibus, ſic dictis ſpirituoſis, pleniorem huic negotio aptam magis eſſe. Quamvis etiam in eo faciles ſimus, ut aliqualem fermentationem, ſumto in ſenſu latiori & magis generali fermentationis vocabulo, pro motu inteſtino corporis cuiusvis, inprimis liquidi, ex partibus heterogeneis conſtantis, a corpuſculorum ſubtilium, maxime mobilium, niſu expanſivo dependente admittamus; id tamen ad diſſol-

Fermentationem in ſenſu latiori admittimus.

venda

enda & comminuenda alimenta
nagis compacta ac solidiora sufficere, nobis persuadere non possumus; quin potius aliam causam cibos rius concerpentem atque atteruantem præcedere debere, ex dictis rationibus clarum esse arbitramur, præsertim postquam ex observationibus virorum supra laudatorum constat, consumtionem corporum durissimorum, ferri, argenti, vesicularum vitrearum, lapillorum, in ventriculis Struthionis, Casuarii, Gallinarum aliarumque volucrum, ab alia longe causa quam ab acido fermentante succo proficisci.

Quibus omnibus probe pensitatis, facile apparet, quid sentiendum de opinione clariss. *Listeri*, Angli, viri doctissimi, qui in opusculo ante decennium in lucem emisso, quod *de Humoribus* inscribitur, omnia studia omnemque operam in eo fixit, ut *Plistonici*, *Praxagoræ discipuli*, nec non *Empedoclis*, de putredine concoquente, sententiam, quam *Petrus Castellus*, *Medicus* olim *Romanus* & postea Messinæ in Sicilia *Profess. Pri-*

Listeri opinio de putredine concoquente.

mar. Hippocratis & *Paracelſi* auctoritate ſtabilire anniſus fuit, revocaret, illuſtraret, confirmaret. Res ſcilicet tota non tam ad putredinem proprie dictam, ſed ad corroſionem redit: unde etiam eandem exemplo corroſionis partium externarum ab euphorbio, cantharidibus aliisque ſimilibus ſepticis explicare contendit. Inſtrumenta corroſionis ipſi ſunt aer atmoſphæricus (quem ſulphuratum & vaporoſum, ſive igne & aqua refertum & adeo putrefacientem ac corrodentem fingit, ut mirum, quod non omnia, quæ ambit ac permeat, corpora brevi putrefaciat, corrodat & penitus deſtruat) nec non ſpiritus vaporoſus ſepticus, e glandulis non modo ventriculi, ſed & inteſtinorum ac viſcerum maiorum, maxime hepatis, emiſſus.

Quum vero hæc de corroſione ſententia ex dictis nulla difficultate poſſit refelli, illa vero, de aliquali putredine, iam dudum a viris perſpicaciſſimis examinata & reprobata fuerit, igniculi etiam aeris ſulphurati &

vis

is eiusdem ſeptica, ſicuti & ea, quæ e ventriculi clauſura & compreſ-one aëris fuſe commemorat, ex in-enio potius clariſſ. Auctoris quam Naturæ penetralibus prodierint: ullam etiam in liquore ventriculi queo, paucis ſalinis & pluribus leoſis moleculis permixto, corro-lentem vim, multo minus tantam, qua cibi breviſſimo temporis inter-allo poſſint comminui & eliquari, letegere liceat, hinc merito eandem viro doctiſſimo relinquimus. Quis nim re curatius examinata non nimadvertit, nihil aliud afferre ce-eberr. virum quam calidum vete-um innatum, ſpiritum & ignem vi-alem, non entia dudum in Vto-piam, unde venerant, relegata.

Auxilia ſive remedia digeſtionem adiuvantia, acria & ex parte cauſtica, quæ magno numero conquirit, opi-nioni auxilio eſſe nequeunt, garum videlicet, vel muria, caſeus, fermen-tum panis. acetum, martialia, vitrio-lata, lapis calcarius, teſtacea, ſalia fon-tium calcaria, ſpir. C. C. ſal. ammon. inſecta ſale cauſtico abundantia,

 aſelli,

aſelli, kermes, cochinilla, formicæ, cantharides, ſericum, ſalia per incinerationem parata, ſulphur, auripigmentum quodvis crematum fuſumque, lapis armen. lazuli & ſimilia. Hæc enim, quemadmodum non omnia ſunt vere corrodentia, ita ſi quid adiumenti adferunt & quicquid adferunt, non vi ſeptica & rodente (ceu calx viva carnes brevi conſumit) utpote qua potius nocent quam proſunt, (quamobrem & intra modum calcem vivam exhibendam ipſe *Liſterus* monet, auripigmentum vero cautiſſime, imo plane non, prudentes Medici certiſſimis experimentis edocti præcipiunt) ſed acri & irritante ſtimulo liquidum nervorum invitando & vim muſculorum augendo, adferunt.

Auripigmentum ſ. arſenicum febrifugum.

Eadem irritante, conſtringente ac roborante vi & ſtimulo ipſum auripigmentum, ſive, quod huic affine, arſenicum, ex more quorundam Gallorum, modo in forma ſolutionis vel Tincturæ, modo pulveris, febricitantibus exhibitum, febrem qui-

uidem certo profligat, ita tamen, t si in largiori dosi detur, nec remeiis obviam eatur, ventriculum que ac alias nobiliores partes deruat, ut funestissima symptomata ipsa mors sæpissime sequantur. antum abest, ut arsenicum qua detruens & corrodens verum sit stoachicum.

Equidem illud extra dubium est, arnes & membranas his acribus, inrimis salinis, in aqua solutis, adiuvante calore, in liquamen tabescere, eu, ut *Plinius* auctor est *Libr. XXXI. C. VII.* pretiosum illud liquois exquisiti genus, quod garon vocavere, ex intestinis piscium cæterisque, quæ abiicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies, longius provecta linguæ libido mirumque gulæ ingenium parare olim docuit. Verum muria sic fit & ichor, non chylus aut succus partibus alendis & reparandis accommodatus. Hic enim non acris, sed pinguis & dulcis, ut habet *Galenus*, & mitissimus esse debebat. Alias enim, si causticæ particulæ hoc modo

Garum veterum.

Acria corrodentia ichorem l. muriam producunt, non chylum.

modo in mixtionem admitterentur, nexus ille concentusque partium & tota adeo corporis machina multo diuturnoque morſu ſolveretur atque deficeret, tantum abeſt, ut corpus augmentum inde ſuſciperet. Nec quicquam cauſæ videmus, cur, quæ tanta vi, brevi adeo tempore, cibos conficiunt, cauſtica, ipſius ventrîculi latera, quæcunque demum ſit illius peculiaris diſpoſitio (cum carneum tamen & membraneum eſſe negari nequeat) non arrodant atque diſſolvant, quod alia tamen cauſtica & corrodentia, & quædam etiam ex modo memoratis, efficere, quis eſt, qui inficias iverit? Argumentum a ſtercoratione petitum falſa nititur hypotheſi. Stercora enim, piſces putridi, pulveres teſtacei, lapis calcarius, calx viva, incrementa plantarum promovent, non qua putrida & corrodentia, ſeptica, ſed partim qua pinguia, partim qua nitroſa aut in nitrum ſub aere libero convertibilia.

Stercoratio plantarum fruſtra hic allegatur.

Tandem, quod ad exſpirationes, ſic dictas ſpirituoſas, ſalino-volatiles,

quæ,

uæ, perſpirationis interioris benefi-
o, in ventriculo colliguntur, atti-
et: id quidem omni dubio caret;
ısdem continuo hic exſilientes &
uodam modo concluſas ac com-
reſſas, inteſtina & perpetua par-
um agitatione, ingeſtorum poris
npelli, eademque intimius pene-
are, atque iterata ſæpius alliſione,
oncuſſione, inſinuatione & ingreſ-
ı, partes ſuccoſas gelatinoſas magis
liquare, ſolvere & abripere, ipſo-
ımque corporum firmius cohæ-
entium nexum ita infringere & la-
are, ut ad contritionem aptiora
ant. Eo fere modo, quo in calci-
atione chymicorum philoſophica,
ti vocant, & quidem vaporoſa;
quei vapores duriſſimum cervi
ornu, animaliumque dentes, inter
mnia oſſa ſolidiſſima firmiſſimaque
ompage gaudentes, poroſiores ma-
isque friabiles reddere ſolent. At
ero illis confici penitus & eliquari
ibos, duriores cumprimis, poſſe, vix
uisquam demonſtraverit. Vnde
llud ſatis evidens eſt, illas æque ac
ympham gaſtricam inter cauſas
præ-

præparantes & adiuvantes hic omnino locum mereri, ſed ad comminutionem, qualem hic deprehendimus, non ſufficere.

Cum igitur neque calor, neque lympha, nec exſpirationes in ventriculo alimentis comminuendis, conficiendis & in chylum redigendis pares ſint, nihil in eo ſupereſt quam conſtructio & motus, quæ nunc quoque expendere iuvabit. Tribus eundem membranis, iisque firmiter contextis, conſtare, diverſorum liquidorum influxu animari motuque validiſſimo (quo, ſi credimus laudato *Pitcarnio*, vires lapidis molaris exſuperat) ingeminatis vibrationibus agitari obſervavimus. Adhæc membranam interiorem ex nervis & tendinibus firmiter & arcte contextam in plicas & rugas inæqualis atque villoſæ ſuperficiei contrahi notavimus, quæ & maiorem reddunt interiorem ventriculi ambitum (ut ciborum maſſa magis explicari, & pro admittenda in pluribus punctis ac partibus, qua macerari debebat, lympha gaſtrica, extenſiorem

Motu ventriculi cibi teruntur.

:m ſuperficiem acquirere poſſit) & alidiſſime tenſæ inſtar totidem uaſi limarum ſunt manu artificis gitatarum, quibus, quicquid interctum eſt, firmo amplexu comprehenditur, atteritur ac continuis itius reditibusque mutuisque ipſoım ciborum, horumque partium, ttritionibus in minutiſſimas moleulas tandem fatiſcit.

Ex his in proclivi eſt perſpicere, ualem cibi ore manſi, ſaliva delibuti c in ventriculum demiſſi, mutatioem ibidem, in anguſtiis rugarum, ıbire poſſint ac debeant. Nempe ɔrti ipſius amplexu apprehenſi omprimuntur, quicquid ſuccoſi ontinent, exprimitur, fricantur, onquaſſantur, & affluente liquore alivæ ſimillimo permulcentur, eliuantur urgenteq; iugi & fortiſſima reſſione extenduntur, lacerantur, liſcerpuntur, diſcerpti calido liquori ɔermiſcentur, blando & continuo caore exagitantur, atq; ita expanſis elaeribus aëreis, quæ cum & in alimenis ventriculum ingrediuntur, (& uarum proin operam, ſi cætera ſint paria,

Elaterés aërei caloræ expanſi iuvant comminutionem.

paria, hic omnino magni esse, lubentissime largimur sagacissimo *Varignonio*, apud *Hamelium Histor. Acad. Reg. Scientiar. L. IV. Cap. V.*) excitatoque intestino dissidio, partes minutim iam concerptæ assiduis succussibus mutuisque particularum occursionibus ulterius atteruntur, divelluntur, colliquescunt & in pultem ac massam chylosam abeunt, quæ, ipsa modo dicta ventriculi constrictione, e fundo ad orificium dextrum sive pylorum, qui, distento ventriculo, alteri orificio altitudine par imo superior interdum observatur, sensim evehitur, & per angustum fibrosumque circulum, quem sphincterem appellant, in canalem intestinorum, ulterius ibidem perficienda, propellitur.

Vera chylificationis causa.

En vobis rationem mechanicam intelligibilem, non ex figmentis aut non entibus cerebrinis, sed ipsa natura, mechanica utris illius membranacei conformatione & motu, cui lympha & exspirationes gastricæ blandusque calor inserviunt, petitam, nec alio simili convenientius decla-

ran-

andam, quam artificiali emulſionis harmaceuticæ vel culinaris præpa-atione; quæ nec calore,(quamvis is operationem adiuvare poſſit) nec eptico rodente liquore aut fermen-atione, ſed ſola ſeminum aut nu-leorum mechanica conquaſſatione c cum liquore aqueo, ope aſſiduæ gitationis, permixtione conficitur: quemadmodum non minus elegan-er hanc actionem illuſtrat experi-nentum ex mente Clariſſimi quon-lam Viri, *Chriſt. Ioh. Langii, Fac. Med. Lipſ. Aſſeſſor.* inſtituendum, quando panem, carnem, olera alia-que exacte comminuta alimenta ntra veſicam bubulam immiſſa cum . q. aquæ calefactæ ſimplicis hume-ctare, manibusque aliquamdiu veſi-cam arcte, ad orificium vinculo con-trictum, comprimere iubet, ita enim n pultem chylo noſtro omnino ſi-nilem brevi cuncta redigi videbi-nus. vid. *Phyſiolog. in Oper. p. 84.* Vn-de ratio in aperto eſt, cur, in experi-nentis celeberr. *Walæi* & Peril-uſtris Domini a BRVNN, ſupra al-egatis; cibi, efficaci quamvis men-

Chylus conficitur ad modum emulſionis artific.

Experimentum Langianum.

F ſtruo

ſtruo circumfuſi, non fuerint comminuti, ſcilicet motus & iugis compreſſio deficiebat, hinc rite comminui,& in pultem fatiſcere non poterant.

Cauſa hæc eſt adæquata.

Verum ut plenius de toto hoc negotio conſtet, atque veritas expoſitæ rationis dilucidius perſpici poſſit, videamus quam prono conſequentiæ nexu omnia ſuperius recenſita phænomena ex dicta ratione & cauſa ultro profluant, quo, dum etiam univerſalem & adæquatam eam deprehendimus, veriſſimam eſſe convincamur.

Obiectio diluitur.

Prius tamen obiectio diluenda erit, quæ adhuc remorari quem poſſet. Scilicet obmoliuntur *Liſterus* & alii: ſi tanta eſſet vis attritionis laterum ventriculi, qui fiat quod non illa ipſa, eiusdem imo tenerioris ſæpe, quam ingeſta, texturæ, mutuo attritu fatiſcant aut ſe ipſa deterant. Prævidit hoc telum *Pitcarnius* illudque promte repulit; Videlicet raro ventriculi parietes ad mutuos contactus pervenire contendit,& contactus qui fiunt inter cibos atterendos & ventriculi interiorem tunicam exerceri

rceri semper ab iisdem ciborum
artibus, sed ab aliis atque aliis tunicæ
entriculi. Fusius hoc illustrat &
onfirmat Auctor *Epistol. ad Pit-
irnium*, *Opuscul. subiect.* Ad hæc
cogitaverimus ventriculi firmam
c in statu vitali valide tensam esse
ompagem, ex fibris validis firmis-
ue fibrarum fasciculis contextam:
Deinde, alimentorum etiam durio-
um iam dentibus contritorum at-
ue liquoribus emollitorum & ma-
eratorum partes laxius, compage
am quodam modo soluta aut infra-
ta, cohærere: facile apparebit, ven-
riculi comminuentis firmitatem
uperare firmitatem comminuendo-
um, nec molles, laxas, fractas, aliasq;
liis non satis cohærentes, facile ce-
entes partes, a lateribus ventriculi
iusque papillis durioribus, reactione
ua non multum posse deterere; &
i vel maxime aliquid abradant, illud
amen iugi partium nutriciarum ap-
oositione sarciri. Præterea, si duri-
ora alimenta aut alia quædam cor-
ora fuerint assumta, non tam ipsa
ventriculi latera attritionem semper

perficiunt, sed plerumque ipsa duriora corpora a lateribus ventriculi asperiori superficie præditis apprehensa & quasi manu agitata se invicem atterunt atque diffringunt. Eoque magis in aperto ratio est, quomodo ventriculus, cumprimis in volatilibus supra allegatis, carnosus magis atque validioribus musculis instructus duriorique intus tunica obductus & præterea lapillis atque arenulis exasperatus, vitra & metalla possit atterere & lævigare. Interea illud quoque experientia cognitissimum habemus: corpora admodum dura ac rigida, inprimis si acuminibus aspera sint, plerumque in ventriculi tunicas sat valide agere, eoque ipso ventriculo multum sæpe nocere: ita ut nec firmissimus Struthionum ventriculus semper impune ferat avidam ferri ingurgitationem, prout, historia ex *Th. Iordano* allata, testatur *Frider. Hoffmannus*, in *Clave Shræderian. p.696.* Quin & Vitrivoris temeritas in devorando vitro non raro pessime cessit, ita ut non solum gravibus inde mul-

ctati

lati symptomatibus, sed & morte sæpe functi sint: prout exemplis non nis, ex *Cæsalpino, Zacchia, Hildano, Cardano, Bartholino, Henrico ab Heer,* docet atque probat *Illustr. Francus Franckenau, Satyr. Med. Continuat. XV. de vitro & ὑαλοφάγοις.* Quodsi vero duriora eiusmodi corpora ita, quoad figuram, comparata ac dispo- ita fuerint, ut a lateribus ventricu- valvulosis sine noxa prehendi, vol- i ac revolvi possint, non videmus ua ratione eiusdem interiori tuni- æ, firmiter compactæ, insignem ut notabilem saltem labem afferre ossint: præsertim cum hic potissi- num locum habeat, quod paulo nte, ex *Pitcarnio* adduximus, con- actus, qui fiunt inter ingesta & ven- iculi interiorem tunicam, exerceri mper ab iisdem ingestorum par- bus, sed ab aliis atque aliis tunicæ entriculi. Si porro quis miretur, uod vermes in ventriculo, sub va- da illa compressione vitam agant, e mirari desinet, si cogitaverit, il- d contingere in statu præternatu- li, ubi ventriculi vigor quodam

modo imminutus est; eam ipsam enim ob rationem colligitur & generatur in illo saburra viscida, nidus & retinaculum vermium; nec adeo difficile est comprehendere, quomodo vermes limo viscidiori involuti sua lubricitate se subducant compressionibus laterum ventriculi. Qamprimum vero ventriculus pristinum robur acquirit, serum ac limum viscidum pariter ac vermes comminuit & expellit.

Sed veniamus ad phænomena; ubi primo miramur providentissimi Creatoris sapientiam, cuius compago mira corporis nostri miraculum est solertiæ, canente *Psalte Regio* Ps. CXXXIX. v. 14. qui

Massæ recentis rudia adhuc primordia,
Rudisque massæ semina,
Ceu scripta haberet, corporisque lineas,
Motum statumque noverat,
Et membra nondum quum forent.
ibid. *v.16.*

Ratio Phæn. I. Sapientissimus enim iste Conditor utrem finxit non cartilagineum ve ossenm

ſſeum inſtar lebetis & ollæ, in qua
limenta elixari , corrodi , fer-
nentari & a ſuccedentibus usque
novis , perinde ac ſanguinis viſce-
umque infracta, aut carnes concer-
tæ, in farciminum confectione, pro-
rudi potuiſſent, ſed membranaceum
unicis fibroſis motricibus inſtru-
tum & quoad interiorem ſuperfi-
iem affabre formatum, corrugatum
c villis & cuſpidibus aſperum, cibis
ontinendis & terendis aptatum, va-
is nervis & glandulis conſpicuum,
dque, quod res ipſa docet, eum præ-
ipue in finem, ut organum eſſet
nobile, quod cibos conterere atque
ffluentibus ad id negotium deſtina-
is humoribus, blando adiuvante ca-
ore, emollitos valida compreſſione
ttenuare & ex ſolidis liquidos, ex
ohærentibus diffluos reddere poſ-
it. Hæc ipſa enim aptiſſima con-
extio atque ſtructura argumenti ſa-
is eſt, ventriculum non ad ſolam
iborum expulſionem tot fibris mo-
ricibus eſſe donatum : inprimis ſi
abricam ventriculi in aliis animan-
tibus, pro victu cuivis conſueto va-

Fibræ motrices non conceſſæ ſunt ventr. ad ſolam expulſionem.

riam. eique comminuendo singula-riter accommodatam, conspirante in id unum totius organisationis ratione, contemplemur.

Admirationem sane summique Conditoris reverentiam excitant quæ in volatilibus circa hoc negotium observamus. Ea enim singularis structuræ ventriculum obtinuerunt &, quoniam dentibus sunt destituta, lapillos (quorum ultra tres libras intercurrentibus frustillis ferri & æris in Struthionis ventriculo invenit curiosissimus *Franc. Red. Experim. Nat. p. m. 95.*) & quidem, quod vult experientissimus *Guil. Harveus de Generat. Animal. Exerc. VII.* asperiores lingua prius tentatos atque selectos, iisque similia duriora corpora deglutiunt, quibus, tanquam cuneis, motu ventriculi validissimo agitatis, (siquidem strepitus ab illorum collisione in falconibus, aquilis aliisque maioribus ex præda viventibus, aure propius admota, dum ventriculus ieiunus est, teste laudatissimo *Harveo l. c.* percipi potest) cibos, quos integros ingurgitare coguntur confringunt.

Admiranda in ventriculis volatilium.

unt. Et in avibus quidem granivoris luculenter apparet, Naturam artem molitoriam imitari, dum quod ingluvies mollit & macerat, ventriculus, duobus craſſis ac robustis muſculorum paribus, duos molares lapides referentibus ac duplici intus cruſta dura ac veluti cornea ſulcisque transverſis aſpera obductis, conſtructus, fortiter commolit. Quoniam etiam non omnia volatilia alimentis durioribus, ſed plurima mollioribus quoque veſcuntur, hinc alia aliis organa pro varia alimentorum conditione varia & ratione ſtructuræ iisdem ſufficienter comminuendis apprime convenientia conceſſa ſunt: quia etiam non quævis ſunt granivora nec quævis etiam ingluvie opus habuere, quin carnivoris, inſectivoris, herbivoris, terreſtribus & aquaticis ventriculus mollior magisque inſtar humani membranaceus, minus rigidus, carnoſus & calloſus contigit, prout pluribus, ex obſervationibus virorum experientiſſimorum. *Borrichii, Peyeri, Harderi* oſtendere ſategit *Emanuel Kœnig, Regn. Animal.*

Animal. S. I. Art. IV. p. 13. Habet & quadrifidus ruminantium ventriculus quod curiosus operum Dei admirator consideret & pie meditetur, vid. præter *Severini* & *Blasii Zootom.* doctissimi *Peyeri Merycolog.* & πολυμαθεστάτου *Velschii de Ægagropilis, Dissert. prior. p. 10.* Curiosissimum vero præ aliis exemplum hic præbet piscis marinus, *Mugilcephalus* dictus, cui singularis mirandique opificii ventriculus est concessus totus gallinacei adinstar musculosus, crassus item ac tam affabre verticillatus, ut motu ac robore suo conchylia minima cochleasque marinas, quæ in escam ipsi cedunt, atterere & comminuere possit, quod præter *Rondeletium* observavit *Peyerus de Glandul. Intest. Exerc. II. Bibliothec. Anat. Tom. I. p. 141. Merycolog. L. I. C. III. p. 18.* confer. *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obs. CI.* quemadmodum & *Ranæ piscatricis* voracissimæ ventriculus nodis cartilagineis, quibus ingesta confringit atque subigit, instructus curiosorum oculos non sine causa in se convertit: vid. *Entii Mantiss. Anat.*

Piscis Mugil. cephal ventriculus.

Ranæ piscatricis.

apud

ud *Charletonum Onomastic. Zoic. p.* s. *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ann.* ', *Observ. CXXXIX. p. 205.*

Neque etiam non intelligitur, uamobrem in Epigastrica regione iter amplexum supra memoratarum partium repositus sit ventriculus? Scilicet ut non tantum liberius possit extendi, sed & reciproco diaphragmatis & musculorum abdominis, dum spiritum assidue ducimus & reddimus, motu, quin & aortæ, arteriarum cœliacarum, nec non internis hepatis pulsibus, nunc hic, nunc illic premi, ad tritum & conquassationem modo expositam rite promovendam. Præterea etiam ut viscera ibi locata eum blande foverent, pro influentium motu promovendo ac debita inter textum vasculosum & nervosum proportione servanda, ut fibris membranarum sua constet tensio & motus. Vnde omentum inprimis haud frustra ventriculo subtensum esse apparet: partim enim calore eidem adjumento est: hinc defectum ipsius ægre tulit gladiator apud *Galenum*; illius- Ratio Phæn. II.

illiusque vicem ſupplevit lana: partim infimas illius fibras (cum ſuperioribus propria pinguedo proſpiciat) pinguedine, ad flexilitatem ſervandam motumque facilitandum atque intercipiendum earundem cum peritonæo coalitum motui alias obſtiturum, inungat, quod fuſius expoſuimus atque curioſiſſima experientiſſimi *Covvperi*, Anatomici Angli, obſervatione confirmavimus in *Diſſert. de Vſib. & Nocum. Pingued. in Corp. Hum.* Adhæc fotum illum blandum haud parum ad lympham gaſtricam actuandam cibisque macerandis aptiorem reddendam, nec non ad ipſam ciborum diffractionem, explicando elaſticas aëris moleculas, contribuere iam ſupra vidimus.

Omentum cui uſui hic ſit?

Potiſſimum vero quod hic occurrit phænomenon eſt, quando alimenta homini reficiendo idonea ita confringi in ventriculo videmus, ut moleculæ nutriciæ a liquore gaſtrico commode imbibi, a recrementis ſegregari atque ulterius perfici poſſint. Videlicet totum hoc negotium

Ratio Phæn. IV.

otium in eo versatur, ut partes ali-
mentorum constitutivæ in speciem
variorum corporum coniunctæ, so-
luta intimiore connexione, dividan-
tur & in statum fluiditatis recedere
cogantur. Cui operationi solum
ventriculi motum, adiuvante liquo-
re aqueo proportionate viscido, sa-
no, exspirationibus interioribus,
nec non blando calore, sufficere, ne-
mo amplius post ea, quæ fusius iam
sunt exposita, nisi nos omnia fallunt,
dubitabit. Colorem autem album Ratio
vel potius cinereum referunt ali- Phæn. V.
menta ita conquassata, ex eo, quod
partes illorum oleosæ, gelatinosæ,
aqueo pellucido liquori permixtæ
& ab eo undiquaque æqualiter
pressæ, non secus ac corpora me-
tallica in fluorem redacta & per
aërem vel aquam sparsa, in glo-
bulos innumeros politos coeunt, Color la-
totidemque globosa specula re- cteus unde?
ferunt, quæ radios lucis confertim
& iusto ordine reflectunt atque ner-
vum opticum in tunicam, quam reti-
nam vocant, expansum ita perstrin-
gunt, ut propagato ad cerebrum

motu

motu & excitata occaſione fibrillarum commotarum certa impreſſione lactei candoris ſenſus in anima oriatur. Cum vero ſimul partes inæquales adhuc & recrementa interfluant candidamque alias maſſam opacent, hinc ſubalbicans ſaltem & cinereus conſpicitur color.

Motum illum, quo cibos ſubigi iam conſtat, ab influente liquido nervoſo totam ventriculi machinam una cum ſanguine animante & nervos inprimis tendente oriri, certum eſt, adeoque, quo vegetior eſt ille influxus, eo vividior erit motus eoque promtius peragetur operatio. Hinc quando corpus optime valet, vegetum ac validum eſt, quando ſuccus nervoſus promte in motus inſtrumenta, atque etiam illa, quorum hic non exiguæ partes ſunt, influit, eadem exagitat, non poteſt non hæc quoq; vigere actio: quemadmodum deficiente vigore imminui. Vnde clariſſimum eſt, quare præ Senibus Iuvenes, præ invalidis bene valentes ſicuti omnium organorum ita etiam ventriculi & partium eundem

Ratio Phæn. VI. & VII.

dem

em adiuvantium motum validiorem & operationem expeditiorem habeant? Nec minus facile inde patet ratio, cur quæ fluidum nerveum consumunt, dissipant aut ab opera ventriculi avocant vel motum ipsius perturbant, huic actioni adeo insigne detrimentum afferant; nempe motus & labores nimii, venus immodica, animi intentio & exagitatio præpropera atque nimia, affectus iustæ proportionis limites egredientes: ita enim, imminuto aut aliorsum determinato influxu, perit legitima fibrarum tensio, exolescit vigor, languet motus & non obstante sufficiente aut etiam exsuperante caloris gradu, lympha gastrica etiam utcunque se recte habente, retardatur ac depravatur ciborum legitima subactio, ut pro alimento partium, alimentum morborum, pro succo diffluo, liquor tenax viscidus, pro chylo cruditates, recensitorum morborum semina & causæ generentur. Et cum exquisitus ventriculi sensus, quo providentissimus Creator corporis

Ratio Phæn. XVII.

Ratio Phæn. III. & VIII.

poris conservandi custodiam nobis iniunxit, dum appetitum producit, qui in blanda, sed molesta, occasione tunicæ interioris nerveæ tensæ & prurientis, animi sensatione atque rerum, quibus hanc molestiam depelli posse putat, cupiditate ac desiderio consistit, nervorum decentem constitutionem ac tensionem, a succo influente, supponat: nullo negotio perspicimus, quamobrem, quæ, cæteris paribus, cum appetitu sumuntur, facilius subigantur. Etenim quæ cum optimo appetitu coniuncta est optima partium ventriculi organicarum constitutio sine valida actione & motu esse nequit, effectu respondente suæ causæ.

Appetitus unde?

Sic igitur omnia quæ fluidi nervei ordinatum ad partes motum promovent earum quoque robori & actioni prospiciunt. Quo minus mirum videatur, si orta in ventriculo vellicatione aut determinato ad eum, nescio quo animi avidioris motu, succi nervorum impetu, prurientibus lateribus appetitus ad res difficilioris solutionis feratur eæque cum delecta-

Ratio Phæn. IX.

:lectatione assumantur, omnia non
lum promte conficiantur, sed &
rostratæ ventriculi vires instauren-
ır. Ita enim, dum dictus modo
ıccus ad fibras invitatur aut diri-
tur, illæ firmiores redditæ valide
ıgesta amplectuntur &, cum anima,
lo appetitus stimulo exagitata, soli-
ıtiori cupiditate ad partem, quam
ecreari cupit, inprimis sit intenta,
ısum hoc fluidum, quod nictu ocu-
citius imperium audit, nutu suo
luc propellit, idque eo magis, quo
ıtensiore cogitatione, grato quem
x desideratorum perfruitione ca-
it sensu & delectatione perfusa,
uc convertitur: sic nempe acce-
ente novo robore ventriculus ali-
ıentis durioribus non solum in
ræsens par, sed &, instaurato hac ra-
ione fluidi vividioris influxu, aliis
ı posterum subigendis idoneus red-
itur.

Ex quibus etiam intelligi potest, Ratio
ua ratione medicamenta sic dicta Phæn. X.
omachica vim suam exerant?
Nempe norunt artis servandorum
ıominum periti; omnia sic dicta

remedia ad quatuor classes referri posse (α) acida & acidiuscula (β) adstringentia (γ) liquidum nervorum blando motu excitantia & augentia, nec non (δ) acria, incidentia, detergentia ac viscidum fibras obsidens removentia: quæ tamen fere omnia stimulando agunt & adstringendo, ac in id unum sunt directa, ut subtilis fluidi e cerebro ad ventriculum influxum promoveant & sic vim huius musculosam augeant. Acida profecto quicquid agunt vellicando agunt & memoratum sæpius liquidum ad influendum invitando: sic fibræ, ita constrictæ, robustiores & ad validum motum accommodatiores redduntur. Quod enim alias tradunt, ea liquorem gastricum acidum acuendo atque vim corrodentem intendendo agere, illud ex eo inprimis negamus, quoniam etiam alcalina, spiritus sal. ammoniaci, sal tartari, salia vegetabilium alcalina ventriculi actionem iuvant, quæ tamen, ex hypothesi, cum acidum infringant ac debilitent, eandem

Omnia Stomachica stimulando & vim musculorum augendo agunt.

em lædere deberent. Adſtringentia, quæ fibras flaccidas & ultra modum laxatas rigidiores efficiunt ut quaſi diſſolutas auſteritate ſua compingunt, non alia ratione agunt quam partibus rigidis aut, quemadmodum ex mente *Willisii* eas contingunt, hamatis fibras in pluribus uperficiei partibus vellicando & ita affluxum dicti fluidi vehementioem concitando. Quæ in tertia laſſe reperiuntur volatilia, ſpirituoſa & aromatica ſunt. Hæc præterquam quod partes volatiles ſuppeditent & tenui agilique acie humores ad motum incitando & ſanguinem attenuando earum proventum promoveant, quo, tenui nervoum ſucco aucto & mobiliore redito, cerebri ac nervorum fibræ intendantur & erigantur, inſigni quoque ſtimulo ſe commendant. Cuim enim teneriorem, oculos & cum ingua palatum penetrabili ſenſu durunt; quidni etiam interiorem ventriculi tunicam longe exquiſiori ſenſu præditam? Neque alia ſt ratio acrium & quodammodo

causticorum a *Listero*, quod supra vidimus, enumeratorum. In detergentibus & incidentibus salinis stimulus manifestus est, qui in vomitoriis etiam satis superque se prodit. Hæc enim medicamenta sunt universalia, utilissima atque, si cætera sint paria, etiam tutissima, nulla alia de causa, quam quod ventriculo cumprimis subveniunt & opitulantur, quando scilicet non tantum a saburra & præpediente viscido fibras liberant & liquidi proventum augent, sed inprimis exquisito stimulo influxum nervorum fluidi provocant & ad motum vividiorem sollicitant, quo ipso affluxu mirum quantum firmantur fibræ & per illas ipse ventriculus. Ex ea ratione verriculum ventriculo tergendo destinatum, die Magen-Bürste/ in iis qui ferre possunt h, e. quibus patulæ sunt fauces & in remoto ore obtusior sensus, si, quod de aliis vomitoriis imo omnibus remediis observandum, ultra sphæram condebiti usus, solum empirice non applicetur, egregium stomachicum pariter

Ratio Phæn. XI.

Verriculum ventriculi.

pariter ac graviſſimorum morborum averruncus exiſtit, non modo quod ſordes detergit, ſed quod leni frictione lympham provocat & ventriculi tonum inſtaurat. Hinc celeberrimus longoque artis uſu eminens *Vedelius*, qui alias non adeo magnifice de hoc inſtrumento ſentit atque non ſecus ac alia moderna, Gallis a la mode dicta, brevi id duraturum ominatur, rectius etiam nos illo ſuperſedere poſſe concludit, certis in caſibus illud non penitus reiiciendum, ſed omnino admittendum cenſet: *Diſſert. de Excutia Ventriculi Ann. 1712. habita.* Hinc & ſimile inſtrumentum, (omni enim ævo Medicis & Chirurgis uſu peritis talia cognita fuerunt, & *Hippocrates* iam ſua ætate vomitus irritatione per pennam excitandi meminit: *de internis Affection.* §. *85.*) amico ſuo, qui plus ſemel ventriculum eodem & vexavit & deterſit, uſui fuiſſe teſtatur doctiſſimus *Pechlinus Obſ. L. Libr. I.* licet rude, durum & ruſticum remedium non temere aliis ſequendum ipſi audiat. Hinc quo-

Excutia Ventriculi iamdudum Medicis cognita.

que Clar. *Lentilius*, vir λόγῳ καὶ πείρᾳ excellentissimus, quamvis quotidianum præservativum, sine quolibet alio discrimine, eiusmodi verriculi usum inter *absurda Medica Theoret. Pract.* referat, ei tamen nonnunquam esse locum arbitratur, quoties e signis certis ventriculum blenna viscida gravatum esse constiterit: *Iatromnemat. Theoret. Pract. P. II. C. XXIII. p. 505.* Nos præterea eo præsertim in casu eiusmodi Excutiam egregiam operam & usum præstare posse existimamus, ubi venena & venenata aliaque nociva improvide ingesta ventriculo detrimentum minantur.

Quandoquidem ergo totum hoc negotium fibras ventriculi firmas earumque legitimam tensionem, tonum & motum requirit, ultro patet ratio, cur quæ tonum destruunt & fibras aut nimis intendunt & ad spasmodicam contractionem incitant, aut laxant, emolliunt vel etiam gravant illarumque actionem præpediunt, ventriculi actioni non leve detrimentum adferant. Elegantia

antia sunt & lectu dignissima quæ
ccasione situs venæ hepàticæ,
uam diaphragma per vices compri-
nit, hanc in rem disserit Clariss. Sue-
us *Christ. Strœm. Nov. Theor. Mot.*
Recipr. Mach. Anim. ex part. org. struct.
Propos. VIII. p. 71. Quando itaque Ratio Phæn. XII.
oncepta nausea, ingrato, e ventri-
ulo, sensu afficitur anima, atque
netuit ne iniuria ab ingestis ingra-
s eidem inferatur, subito, ablega-
o, nutu suo, fluido nerveo, eundem
onstringit quasi contra molestos
nsultus obfirmatura aut ope fibra-
um constrictarum, quicquid iniu-
iam minatur, expulsura. Qua ta-
nen subitanea, vehementi & inor-
inata constrictione aut spasmodi-
o constringendi conatu, qui tam
liu durat, quam diu assumta nause-
sa ingratum sensum excitant, legiti-
na ventriculi tensio perit & fibris ac
nembranis nimium atque spasmo-
ice tensis & per consequens motu
egitimo ita turbato ac impedito
ctio comminuendi & conquassan-
li multum remittit. Quod idem
ccidit, ubi ventriculus a potibus aut Ratio Phæn. XV.

aliis ingestis nimis distentus contrahi rite, & cibos amplecti ac contere-re nequit. Humectantia dulcia & oleosa laxant fibras & emolliunt, hinc tonum ac motum & actionem eius pervertunt. Legi merentur quæ hanc in rem de usu & abusu diluentium & oleosorum observat & monet doctissimus *Baglivus de Fibra Motr. & Morbos. p. m. 135.* Oleosa & viscida ventriculi latera obsidendo glandularum etiam tubulos obstruunt, ut lympha emolliendis, diluendis ac emulgendis cibis destinata non libere possit effluere. Terrea lympham absorbendo, & usu eiusdem ventriculum privant & in lutum versa simili modo latera & poros obsident, plicis inhærent, stomachum gravant, tonum destruunt, & contractioni non tantum sed & attritui, partibus adhærescendo ac firmiorem amplexum impediendo, obicem ponunt. Quæ causa erat, quamobrem celeberr. *Drelincourtius*, in cane, triticeo pane optime & copiose pasto, nullum chylum reperire poterat, motu ventriculi

Ratio Phæn. XIII. & XIV.

Ratio Phæn. XVI.

utcun-

utcunque adhuc integro; ſcilicet liquidum diluens, quod omne imbiberat ille panis, deficiebat & paſtà viſcida latera diſtendebat, plicisque impacta in cauſa erat ut amplecti & conterere non rite poſſet contenta ventriculus.

Neque præterea non apertum eſt, cur ſegnius in dormientibus quam vigilantibus procedat χυλοποίησις. Somnum videlicet ſublato, ob auctam ſanguinis preſſionem, texti arterioſi & nervoſi æquilibrio deberi, ita ut nervi eorumque propagines ab arteriis ſanguine diſtentis preſſæ a vivida intenſione remittant ac vividiores undas tanta copia non admittant quanta ad ſenſus & motus animales requiritur, novimus & fuſius docuimus *Comm. de Aequil. Ment. & Corpor. p. 63. ſeqq.* quo ipſo, laxata univerſi texti nervoſi compage, habitus totius corporis aliquo modo flacceſcit, tonus partium remittit: unde neceſſario ipſe quoque ventriculus, diaphragma & muſculi abdominis, deficiente, ex parte, animante & tunicas ac fibras tendente Ratio Ph. XIIX.

 fluido

fluido ſegnius moventur & operantur. Vt omnino ſatis cauſæ fuerit *Sanctorio*, quamobrem ſomnum meridianum inſolitum viſcera omnia lædere, *Medicin. Static. Sect. IV. Aphor. 66.* & duplicem eſſe bonæ valetudinis peſtem: corpus ex toto tradere quieti & comedere ante cibi præcedentis concoctionem, ſcripſerit: *ibit Sect. III. Aph. 105.* Hinc etiam eſt quod inebriamina ſpirituoſa, calida, & omnia quæ ſanguinem expandendi & rarefaciendi vim habent (quo pertinent inprimis opiata omnium calidorum calidiſſima, narcotica,) ſomnum non modo inducant, verum etiam, verſo in abuſum uſu, appetitum proſternant atque ventriculi actionem inſigniter pervertant. Sanguine enim nimis rarefacto nervi ultra modum premuntur, quo ipſo, imminuto liquidi vividioris influxu, imminuitur motus, omniumque fere organorum vitalium, quo merito referas ventriculum, infringitur actio: quo minus mirum, ſi cruditatibus enatis, ſpir. vin. potatores cachexia, hydrope ſimili-

Duplex bon. valetud. peſtis.

Ratio Ph. XIX.

ilibusque malis inordinati appetitus dementiam luant. In febribus, cum omnibus totius corporis partibus, ventriculus etiam debilitatur, appetitus prosternitur, nullam aliam ob causam, quam quod rarefacto calore p. n. sanguine, æquilibrium inter solida & fluida destruitur, nervi comprimuntur atque sic intercepto influentis per illos liquidi vitalis, magna ex parte, motu, vis & vigor partium, atque hinc etiam ventriculi eumque succutientium musculorum franguntur; ut proinde ubi, ingruente maximo calore, cum viribus totius corporis, appetitus & vis ventriculi subito deiiciuntur, maligni quid subesse quod sanguinem subito & vehementer expandat, rarefaciat eoque ipso nervos valide comprimat motumque animalis in illis fluidi intercipiat, certissimum sit. Ratio Ph. XX. Ratio Ph. XXI.

Ex quo & illud facile conficitur, quamobrem maximis anni caloribus ventres sint debiliores & cur ii qui regiones calidiores inhabitant non ea sint voracitate quam ii qui Ratio Ph. XXII.

in

in aëre frigidiore vivunt. Nimio ſcilicet calore ſanguis in arteriis non ſecus ac liquor ſpirituoſus in Thermometris ultra modum rareſcit, magna ſui parte augetur, vaſa diſtendit, nervos, vi & niſu mediocritatis ac debitæ proportionis leges excedente, premit: unde, præpedito liberiori fluidi animalis motu, partes laxantur, debilitantur, laſſitudo toti corpori inducitur & ventriculus cum partibus actionem eius promoventibus, ex conſequenti, etiam infirmatur. Quam infirmitatem non parum auget copioſum ſudoris & partium aquearum profluvium: ita enim, abſumto diluente ſero, partes oleoſæ caput efferunt calorique pabulum præbent, unde fervor & cum eo debilitas increſcit; perinde ac in hecticis, tabidis, cachecticis in ſtatu p.n. idem, ſed in diſpari gradu, obſervant Medici. Adhæc ex eo quoque augmentum capit debilitas, quod calore ſitim accendente, potu obruitur atque laxatur ventriculus. Hyeme contra & in locis verſus ſeptentrionem, ubi

Abſumto per ſudorem diluente ſero calor ſang. increſcit.

Potulenta nimia laxant ventriculum.

Ratio Ph. XXIII. & XXIV.

ɔi aër frigidior corpus ambiens & ermeans nimium ſanguinis fervo- em ac rarefactionem compeſcit, ut iſus diſtentarum arteriarum ac ervorum obluctatio ad æquilibri- m & mediocritatis leges redeant & qua ac pari libra ſubſiſtat illa ſoli- larum fluidarumque partium pro- ortio, corpus & organa vitalia red- luntur & ſunt validiora, & agunt roinde expeditius: ex eo, quod li- uori nerveo, detumeſcentibus uodammodo arteriis, influendi ocus eſt.

Quæ ſi perpendimus, nullo mo- lo a nobis impetrare poſſumus, ut, ex illa ventriculi, imo totius corpo- ris, temporibus calidiſſimis imbecil- litate, frigidiora per æſtatem eſſe corpora quam hyemali tempore concludamus. Aliæ enim, quod vidimus, huius languoris cauſæ in promtu ſunt, veriores quam putati- tium illud friguſculum. Neque enim calor corporis, aucta tum tem- poris tranſpiratione, exhalat, ſed in corpus potius ſe ingerit & auctæ tranſpirationis cauſa exiſtit. Aqua

igne

igne incalescens, cuius pars quædam in vapores resolvitur & exhalat, ea propter non refrigescit, quin potius, urgente iugi calore, maiorem, in minore quantitate, fervorem concipit. Ita sanguis aëris fervore incalescens ob decedentem quandam sui portionem non fit frigidior. Citatiori profecto motu fertur. Intestina etiam molecularum agitatio maior est; quod pulsus magnus celer & frequens testatur: hinc necessario calidior erit. Cum vero omnis calor sit a sanguine, hinc quo ille est calidior eo calidius erit totum corpus. Tantum igitur abest, ut imbecillitas ventriculi, & totius corporis, paradoxon hoc stabiliat, ut potius, postquam veram illius rationem perspeximus, id ipsum præ aliis impugnet: cum ex dictis liquido appareat: æstate imbecilliora esse corpora, non quod frigidiora sed quod calidiora sunt quam hyeme, atque hyeme esse firmiora & robustiora non quod calidiora sed quod frigidiora sunt: Neque ex alia re originem traxit hæc persuasio, quam quod

Impecillitas corporum per æstatem est a calidiore non frigidiore corp. habitu.

quod vera causa veteribus ignorata fuit, quam tamen debilitas ex ebriaminibus aut ex calore febrili suppeditare facillime potuisset. Cum autem pro intensiore vel remissiore caloris gradu sanguis magis vel minus rarefiat, ut hinc compressio nervorum maior vel minor sit. Cum etiam in certis subiectis sanguis magis vel minus sit elasticus ac ad rarefactionem & expansionem idoneus: nervorum quoque in quibusdam tensio firmior, & fortior in adversum nisus quam qui a sanguinis expansi pressione multum superari possit: hinc nullo negotio invenitur ratio graduum imminutæ illius actionis pro diversitate aëris magis vel minus incalescentis, regionum, & subiectorum. Ratio Ph. XXV.

Quæ igitur neque ex elixante calore, neque e liquoris ventriculi vi septica aut fermentante reddi poterat, intelligibilis omnium supra enarratorum phænomenorum ratio, hanc a ventriculi, eleganti mechanica instructi ac influxu succi nervorum animati & agitati, assiduo

ac

ac valido attritu prona consequentia deduci, post ea quæ fusius declaravimus, in aperto ac propatulo est. Quis igitur dum causam hanc non modo intelligibilem, & ex ipsa rei natura petitam, sed & universalem ac adæquatam deprehendit; veram eandem esse amplius dubitaret!

Non amplectimur *Erasistrati* & *Asclepiadis* sententiam.

Neque tamen, quando tritu ventriculi ciborum subactionem absolvi contendimus, eo ipso in *Erasistrati* & *Asclepiadis* sententiam (si modo tam cruda fuit quam eandem vulgo depingunt) delabimur, qui unicam, hunc, causam agnovisse dicuntur. Nec in eo assentimur *Pitcarnio*, quando solum tritum omnia hic perficere, neque ullum liquorem dissolutioni ciborum in ventriculo inservire temere & sine sufficienti ratione contendit* *Differt. supra citat. p. 68.* Quin facile perspicimus atque

* Immerito & præter rationem illustribus atque peritissimis viris, *Bohnio* & *VVedelio* contradicit *Pitcarnius*, nescio quo vano contradicendi pruritu agitatus, quando liquorum

ue largimur, non tantum artificio-
issimam ventriculi texturam ac fa-
ricam, sed & alia, quæ in illo & circa
llum secundum Naturæ ordinem
eperiuntur, ad hoc negotium pru-
lentissimo Dei consilio fuisse dire-
cta, atque hinc calorem tempera-
um & liquorem gastricum tan-
quam causas socias, præparantes ac
adiuvantes admittimus, potissimum

H tamen,

quorum quoque in ventriculo con-
fluentium ac provenientium in chy-
lificationis negotio haud contem-
nendas partes esse rectissime & cum
ratione affirmarunt. Nec *Bohni-*
us aut *VVedelius*, si dicendum quod
res est, sed ipse potius *Pitcarnius*
hic *multis modis peccat*. Admit-
tit inprimis laudatissimus *Bohnius*,
expressis verbis, tritum *Erasistrati*,
Circul. Anat. in Physiol. Progymn.
X. p. m. 137. nec non *Exercitat. de*
Menstruo Vnivers. animal. Circu-
lo Anat. annex. p. 469. sed ita ut
& lymphæ solventis ac diluentis
actionem nullo modo excludat. In
quo plurimorum præstantissimo-
rum Philosophorum ac Medico-
rum applausum reportavit,

tamen, motum & attritum laterum ac plicarum ventriculi esse, qui alimenta diffringit, concerpit, diduci & in minima resolvit, eum in finem, ut lympha solvens partes diffractas diffractarumque minutias imbibere, sibi associare & cum i lis in chylum laudabilem abire pos sit, arbitramur. Sic lympha emolliendo & macerando tritum iuva & efficaciorem reddit, & tritu comminuendo, nec non motu pre suve escam miscendo & exagitando lymphæ activitati adminiculo es Vt inde non inepte ventriculus alimenta in chylum convertere dica tur, atque eleganti ingenio suo vi fecerit doctissimus alias *Gerardu Blasius* dum *Celeb. Veslingium*, *Syntagm. Anat. Cap. III.* ita loquenten immerito reprehendit, æque absur dum & inconveniens esse ratus, quis ventriculum cibos in chylun convertere diceret, ac si quis ollan materiam contentam in iusculun convertere serio contenderet: *Comment. ad dictum Syntagm. p. 34.* qua verò eadem esset conditio ventricu

Ventriculus recte chylificare dicitur.

li a

ac ollæ culinariæ igni superimposi-
e, atque ille æque ac hæc mere pas-
ve se haberet?

Illud etiam a veteribus rectissime dictum admittimus: formam ventriculi id quicquid hic est operationis perficere; modo veram formam, situalem pariter & actualem, quæ in certa quantitate motus partibus certo modo dispositis impressi & secundum illius situs rationem exerciti consistit, magis quam poëticum illud *Aristotelicæ Philosophiæ* monstrum, quo quid velint ipsi nesciunt, respexissent. Ab anima vero, quod aliis placuit, hanc esse actionem, ex eo non facile iisdem concesserimus, quod eidem nullum in ventriculum est imperium, nec ulla mentis intentio vel adiuvare eandem vel accelerare vel coercere potest, & totum potius negotium vi circuli & reciprocorum fluidi arteriosi & nervosi motuum, mechanica necessitate, expediri novimus. Quamvis non

Forma ventriculi alimenta in chylum redigit.

Minime vero Anima.

H 2 diffi-

diffiteamur, animam, ex rectæ rationis imperio, ſibi ab affectibus aut aliis inordinatis commotionibus temperando, vel iisdem indulgendo, & promovere illud aliquo modo & cohibere poſſe, motum nervorum fluidi ex accidenti concitando, divertendo aut turbando; quod tanquam alibi expeditum fuſius hic perſequi non eſt animus.

TANTUM!

